SC. SUP. 23. Pl. 4.

32
10 B
34

Digitized by Google

INSTITUTIONES
THEOLOGICAE

AUCTORE

IOANNE BAPTISTA DALL' OCCA

SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORE COLLEGIATO, AC BONONIÆ IN PATRIA UNIVERSITATE PUBLICO PROFESSORE, NEC NON PERINSIGNIS COLLEGIATÆ S. PETRONII CANONICO.

EDITIO ALTERA

TOMI IV. PARS I.

LUCÆ MDCCLXXXXI.

Typis DOMINICI MARESCANDOLI

Cum Approbatione.

DISSERTATIO IV.

De Sacramento Pœnitentiæ.

Pœnitentia ſpectari poteſt & ut eſt virtus, & ut eſt Sacramentum. De illa utique ſecundo modo inſpecta hic eſt ex profeſſo agendum; juvat tamen aliquid de illa præmittere inſpecta primo modo. 1. itaque diſſertationis capite agam de Pœnitentia, ut eſt virtus, in ſequentibus de Pœnitentia, ut eſt Sacramentum, ſicque in 2. notionem exhibebo Sacramenti Pœnitentiæ: in 3. agam de dolore ad hoc Sacramentum requiſito: in 4. de ſacramentali Confeſſione: in 5. de abſolutione ſacramentali: in 6. de Miniſtro Sacramenti Pœnitentiæ: in 7. de ſacramentali ſatisfactione: in 8. de Indulgentiis, quæ maximam cum ſacramentali ſatisfactione connexionem habent.

CAPUT PRIMUM.

De Pœnitentia, ut eſt virtus.

EXplicabo 1. naturam virtutis Pœnitentiæ: 2. agam de illius neceſſitate: 3. agam de præcipuo Pœnitentiæ fructu, ſcilicet de remiſſione peccatorum: 4. de pœnitentia publica.

ARTICULUS PRIMUS.

Pœnitentia (ut modo conſideratur) eſt virtus, qua deteſtamur peccata, illaque odio habemus ac proponimus ab iis impoſterum cavere, & Deo pro illis ſatisfacere.

Hanc eſſe veram virtutem certum eſt ex fide: nam Chriſtus eam ſubinde inculcavit, ut cum

dixit (*a*): *Pœnitentiam agite*: & alibi (*b*): *Si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis:* quod idem ab Apostolis pluries factum docent ipsorum acta. Præterea Pœnitentibus promittitur remissio peccatorum, quæ sane nonnisi exercenti virtutis actum promitteretur. Ita dicitur (*c*): *Si impius egerit Pœnitentiam . . . vita vivet*. Ipsam Pœnitentiam appellant Patres virturem, ita Chrysostomus (*d*): *Non est certe peccatum, quod non cedat vi Pœnitentiæ*. Favet ratio; nam sicut amare quod est amabile, & gaudere de eo, quod dignum est gaudio, sunt actus virtuosi, ita odisse quod est odibile, & dolere de eo, quod est dolore dignum, erit actus virtuosus. Talis ergo erit Pœnitentia, quæ odit quod est odibile, idest peccatum, & de eo dolet. Sed

Dices I. Quod necessario peccatum supponit, non est virtus. Talis est Pœnitentia. Ergo &c.

II. Actus virtutis debent parere delectationem. Hanc non parit Pœnitentia, quæ potius parit dolorem. Ergo &c,

Ad I. ℟. Quod si argumentum valeret, probaret ad summum non esse virtuosos actus Pœnitentiæ, non quod habitus saltem ut infusus a Deo non sit virtus, licet enim iidem actus actuale peccatum supponant non tamen illud supponit habitus sic spectatus, qui supponit peccatum tantum possibile, quo fit, ut jure doceat Angelicus a Deo infusum fuisse Adamo adhuc innocenti habitum Pœnitentiæ. Dixi *saltem ut infusus a Deo*; nam si spectetur ut acquisitus per actus frequentatos, peccatum utique actuale supponit, ut supponunt actus, per quos acquiritur. Sed etiam hoc misso ℟. distinguendo majorem: si peccatum supponat ut destruendum, negatur, secus, conceditur; sicuti enim laudabilis est medicina licet morbos

bos

(a) *Matt.* 4. (b) *Luc.* 13.
(c) *Ezech.* 18.
(d) *Homil.* 22. *al.* 23. *in Matt. n.* 5.

bos ſupponat, quia illos ſupponit tantum ut tollendos, & ſicuti juſtitia vindicativa in Judice, quæ peccata in reis ſupponit, eſt vera virtus, quia illa tantum ſupponit, ut, quantum fieri poteſt, deſtruenda: ita a pari in caſu.

Ad II. ℟. Non requiri ad virtutem, ut hæc delectationem pariat ex parte objecti, circa quod verſatur, ſed ſufficere ut illum pariit ex parte actuum ſibi correſpondentium: parit autem Pœnitentia in caſu, quia pœnitens de ipſa ſua pœnitentia delectatur, & gaudet ſe dolere Ergo &c.

Examinant Theologi, utrum ſit Pœnitentia virtus generalis, an ſpecialis.

Pro intelligentia noto virtutem dici generalem, cum poteſt ponere actum ex motivo omnium aliarum virtutum, ſpecialem autem, cum ponit ex motivo ſibi proprio nulli alteri virtuti correſpondente. Liquet porro dari quamdam Pœnitentiam generalem, cum poſſit hominem de peccato pœnitere ex motivo omnium virtutum; omnis enim virtus, ut hominem diſponit ad proſecutionem objecti ſibi proportionati, ita ipſum diſponit ad fugam illorum, quæ eidem objecto ſunt contraria. Cum ergo poſſit homo contra quamlibet virtutem peccare, quælibet pariter virtus poteſt illum movere ad pœnitentiam poſt peccatum, quæ pœnitentia eſt veluti fuga ab eo, quod objecto virtutis eſt diſconveniens. Sic E. G. ſi peccavi contra temperantiam, poſſum pœnitentiam de tali peccato agere ob ſpecialem honeſtatem temperantiæ, quam violavi; ſi contra fortitudinem, poſſum pœnitentiam agere ob ſpecialem honeſtatem fortitudinis, & ſic de ſingulis: & tunc mea Pœnitentia eſt actus vel temperantiæ, vel fortitudinis &c.

Præter hanc Pœnitentiam generalem datur etiam virtus Pœnitentiæ ſpecialis; nam datur virtus, cujus eſt deteſtari peccatum ob peculiarem honeſtatem relucentem in retractandis ac vindicandis Dei offenſis: quæ virtus & eſt ſpecialis, quia proſequitur objectum ſuum ex motivo ſibi

pecu-

peculiari, adeoque nulli alteri virtuti conveniente, & est Pœnitentia : & de hac sic considerata præcipue hic est sermo. Quamvis autem hæc sit virtus specialis, valde tamen accedit ad justitiam, cum ad Pœnitentiam spectet, quantum fieri potest, satisfacere pro offensis Deo irrogatis, & veluti compensare jus divinum læsum; satisfacere autem & compensare justitiæ proprium sit.

ARTICULUS SECUNDUS.

Virtus Pœnitentiæ est absolute, & necessitate medii necessaria adultis, ut illis peccatum actuale remittatur. Hoc est de fide, & expresse traditur in Scripturis; dicitur enim (a): *Si Pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini:* & alibi (b): *Si Pœnitentiam non egeritis, similiter omnes peribitis*: & suadet communis Theologorum sensus, & ipsa ratio; æquum enim est, ut qui voluntarie a Deo deflexit, erroris sui veniam non consequatur perseverante in illo moraliter ipsius aversione a Deo. Hæc autem aversio debet tolli per Pœnitentiam. Ergo &c. Sufficit tamen aliquando Pœnitentia virtualis, quæ scilicet includitur E. G. in dilectione Dei super omnia.

At necessitas Pœnitentiæ provenitne tantum ex libera Dei voluntate, an vero ex ipsa rei natura?

Responsio dependet ex solutione quæstionis, an Deus possit remmittere peccatum absque pœnitentia seu retractatione peccatoris, pro cujus quæstionis solutione sit

ASSERTIO. *Potest Deus absolute remittere peccatum absque pœnitentia, seu retractatione peccatoris.*

Prob.

(a) *Eccli.* 2. (b) *Luc.* 13.

Prob. ratione. Potest homo remittere alteri homini offensam absque illius penitentia & retractatione. Quidni ergo id possit Deus? Ulterius Deus sic remittit peccatum infantibus. Quidni ergo poterit remittere etiam adultis?

Obj. ex ratione. I. Peccator, usque dum non retractat per pœnitentiam peccatum, manet habitualiter aversus a Deo. Ergo usque dum ita non retractat peccatum non potest illi peccatum remitti, alias non remaneret amplius peccator, qui est habitualiter aversus a Deo.

II. Per remissionem peccati, maxime si fiat mediante gratia, homo desponsatur cum Deo. Cum ergo ad desponsa duorum requiratur utriusque consensus, requiritur in casu consensus tum Dei, tum hominis. Consensus autem hominis non habetur seclusa retractatione peccati, quæ fit per pœnitentiam. Ergo &c.

III. Indignatio divina non debet dependere ab arbitrio Dei, sed a reitate existente in peccatore. Quamdiu ergo durat hæc reitas, debet durare indignatio. Reitas autem durat, quamdiu peccator per pœnitentiam non retractat peccatum. Ergo tandiu etiam debet durare divina indignatio. Non igitur antequam retractetur peccatum, potest Deus illud condonare.

IV. Si posset Deus condonare peccatum, antequam per pœnitentiam retractetur, posset etiam illud condonare, antequam committeretur, vel in ipso actu, quo committitur, cum non sit major ratio pro uno quam pro altero casu. Nullus autem hoc asseret. Ergo nec primum.

Ad I. ℟. negando consequentiam; licet enim peccator, quoadusque per pœnitentiam non retractat peccatum, maneat habitualiter aversus a Deo ex parte sui, hoc tamen non exigit necessario, ut remaneat habitualiter aversus ex parte Dei, quatenus scilicet Deus illum odio habeat, & consideret de facto ut inimicum, sive aliis verbis licet tunc peccator remaneat di-

gnus odio divino, non tamen remanet necessario objectum actuale ejusdem odii: eo proportionaliter modo, quo posita & non retractata a Tyrannis voluntate occidendi Martyres, ipsi Tyranni remanebant digni odio eorumdem Martyrum, sed non idcirco illos martyres necessario oderant, cum potius illos venia donatos Christianæ charitatis affectu diligerent. Alio etiam exemplo res declaratur. Emiserit Petrus votum, nec voluntatem retractaverit, hinc sane est habitualiter vovens, quatenus scilicet durat in eo fundamentum juris, quod Deus acquisivit ad rem per votum promissam. Hoc tamen non tollit, ne Deus possit voti obligationem relaxare, quo posito vovens actu non obligabitur ad rem promissam. Ergo a pari proportionaliter in casu.

Ad II ℟. argumentum ad summum probare, quod requiratur retractatio, cum remissio peccati fit per gratiam, & quidem per gratiam præsentis ordinis, quæ desponsationem hominis cum Deo importat. Cæterum cum absolute possit remittere peccatum absque infusione gratiæ, ut infra ostendetur, cumque fortasse in alio ordine gratia sit separabilis ab amicitia Dei, adeoque a desponsatione cum illo, hinc patet absolute non repugnare, quod in alia providentia peccatum condonetur absque retractatione peccatoris.

Ad III. ℟. non dependere quidem ab arbitrio Dei, quod indignetur in peccatorem hoc sensu, quod possit Deus indignari in illum, qui non peccavit, sed dependere hoc alio sensu, quod, postquam creatura peccavit, possit pro libito indignationem conservare, vel ab ipsa cessare. Ergo &c.

Ad IV. ℟. nullum esse absurdum, quod Deus remittat peccatum, vel antequam fiat, vel cum fit; id enim solum importat, quod Deus nolit odisse creaturam, quæ tamen odio digna est; in hoc autem nullum est absurdum. Ex his patet hominem in hypothesi futurum quidem

dem fundamentaliter inimicum Dei, sed non futurum talem formaliter.

Quæritur etiam, an præceptum Pœnitentiæ obliget statim a commisso peccato, ita ut, si statim post illud peccatorem non pœniteat, novum peccatum a priore distinctum, & quidem contra virtutem Pœnitentiæ, committat?

Pro responsione dico certum esse primo, quod hoc præceptum obligat statim a commisso peccato, si alias peccator esset in proxima occasione relabendi in peccatum, vel in proximo periculo æternæ damnationis, ita enim in casu postularet charitas, quam sibi deberet: secundo obligare peccatorem statim post commissum peccatum ad avertendum se ab illo aversione actuali negativa, ita scilicet, ut illico desistat ab actuali affectu erga illud, alias continuaret peccatum, vel etiam posita sufficiente interruptione nova peccata distincta committeret.

Sed extra casus adductos non apparet ullum præceptum, ut statim a commisso peccato illud peccator retractet. Ita communius Doctores. Nam primo Ecclesia præcipit confessionem, adeoque Pœnitentiam semel tantum in anno, præceptura utique statim a commisso peccato, si per se adesset hæc obligatio. Secundo praxis Confessariorum est, ut non reprehendant tamquam de novo peccato Pœnitentes ob dilationem Pœnitentiæ, & praxis Pœnitentium est, ut de illa non se accusent. Tertio non adest sufficiens ratio dicendi quod adsit hoc præceptum; nam ex mora Pœnitentiæ nec oritur damnum Deo nec damnum spirituale proximum, ut supponitur, ipsi peccatori, nec per illam importatur odium in Deum, aut contemptus amicitiæ illius, cum possit, & debeat peccator habere propositum hanc amicitiam recuperandi opportuno tempore, eamque possit ac debeat æstimare, desiderare, & velle, quamvis voluntas pro tunc sit inefficax. Et licet Scriptura dicat: (a) *Ne tardes*

(a) *Eccl.* 5.

converti ad Dominum, & ne differas de die in diem, hoc tamen potest explicari de mero consilio. Ergo &c.

ARTICULUS TERTIUS.

De præcipuo Pœnitentiæ fructu hic agendum, qui est remissio peccati, circa quam generaliora hic tradam, & quæ viam sternant dicendis in progressu circa remissionem, quæ fit in Sacramento Pœnitentiæ.

In primis itaque certum est remissionem peccati quodcumque illud sit, semper conjungi cum infusione gratiæ sanctificantis. Sed hic statim exurgit dubium, an infusio gratiæ, sive alterius intrinsecæ qualitatis sit omnino necessaria ad hanc remissionem, ita ut ne Deus quidem possit remittere peccatum absque tali infusione (Dixi *sive alterius intrinsecæ qualitatis*, ut comprehenderem etiam alia, quæ fortasse possent peccatum expellere, ut esset unio hypostatica, visio beatifica &c.). Divisi sunt circa hoc Theologi aliis affirmantibus, negantibus aliis. Cum posterioribus sit

Assertio. *Potest Deus remittere peccatum absque infusione gratiæ, aut alterius qualitatis intrinsecæ.*

Prob. ratione. Nulla est assignabilis in hoc implicantia. Præterea si homini non elevato ad finem supernaturalem Deus vellet remittere peccatum, illud remitteret non infundendo tamen ullam intrinsecam qualitatem, cum hæc statui illius hominis non conveniret. Posset ergo etiam nunc Deus peccatum sic remittere; si enim aliqua esset inter utrumque casum disparitas, esset, quod nunc homo est elevatus ad finem supernaturalem, tunc non esset. Sed hæc non impedit quominus peccatum possit modo citra infusionem alicujus intrinseci remitti; nam primo etiam independenter ab hac infusione talis remissio conduceret ad finem supernaturalem

utpo-

utpote removens impedimentum ad illum. Secundo infusio alicujus intrinseci etsi necessaria sit ad finem supernaturalem, non tamen est necessaria potius in hac, quam in aliis circumstantiis. Rursus ex alibi dictis peccatum habituale consistit in peccato præterito moraliter perseverante in reatu odii divini. Si ergo posita retractatione peccatoris Deus remittat jus ad odium, etsi postea nihil intrinsecum infundat creaturæ, jam peccatum moraliter amplius non perseverabit. Tandem unus homo alteri remittit injurias absque ullius qualitatis intrinseca infusione. Cur ergo Deus hoc præstare non poterit.

Obj. ex ratione. I. Homo dignus ódio non potest fieri dignus amore absque aliqua mutatione. Hæc non potest haberi ex parte Dei. Remanet ergo ut habeatur ex parte hominis. Hæc non potest proficisci nisi a gratia, cujus est reddere hominem Dei amicum. Ergo &c.

II. Cum Deus homini remittit peccatum, illi reconciliatur. Non ergo potest amplius illi velle malum: vellet autem nisi infunderet gratiam, nam seclusa hac infusione vellet illum exclusum a regno cœlorum, quod sine gratia obtineri nequit. Ergo &c.

Ad I. ℟. prænotando non esse idem quod homo cesset esse inimicus Dei, & quod fiat positive ejus amicus, sicuti enim possunt duo homines inter se inimici reconciliari absque eo quod evadant positive amici, ita potest Deus reconciliari cum homine, absque eo quod positive evadat amicus illius. Hoc autem illud esset, quod eveniret in casu assertionis, tunc scilicet homo non amplius esset inimicus Dei, sed non ideo evaderet positive amicus. Ut autem cessaret esse inimicus, non requireretur ulla intrinseca mutatio nec ex parte Dei, nec ex parte hominis, quomodo ut duo homines cessent esse inimici inter se, nulla requiritur in alterutro intrinseca mutatio, unde sicut pro il-

lorum libito cessarent isti esse inimici, ita cessaret homo esse inimicus Dei pro libito ipsius Dei. Ergo &c.

Ad II. ℟. argumentum solum probare quod sit necessaria gratia ad obtinendum finem supernaturalem, non autem probare quod gratia sit necessaria ad remissionem peccati. Posset igitur Deus prius remittere peccatum, deinde infundere gratiam, quo casu verificaretur & quod homo haberet media ad consequendum suum finem, & quod peccatum remitteretur absque infusione alicujus intrinseci, nam infusio hæc, ut supponitur, esset posterior ipsa peccati remissione.

Etsi tamen probabilius posset Deus remittere peccatum absque infusione gratiæ sanctificantis, aut alterius intrinsecæ qualitatis, nunquam tamen, ut superius dixi, peccatum remittit absque infusione ejusdem gratiæ. Cum autem gratia hæc saltem in præsenti providentia cuicumque peccato mortali repugnet, non item veniali, hinc non potest remitti unum mortale, quin omnia mortalia remittantur, nec potest remitti unum veniale, quin remittantur omnia mortalia, potest autem remitti unum veniale, quin cætera venialia remittantur.

Ex quo autem gratia habitualis neque in præsenti providentia sit incompossibilis cum veniali, sequitur illius infusionem non posse esse causam immediatam remissionis venialis: scilicet quamvis gratia hæc semper infundatur, cum remittitur veniale, non tamen hoc expellitur præcise & immediate per talem infusionem, ut expellitur mortale, quia hoc cum gratia est incompossibile. Cum porro ex alia parte nec expellatur veniale per habitus gratiam concomitantes; & ipsi enim cum veniali stare possunt, nec expellatur per retractationem peccatoris, quam & ipsam cum veniali stare posse patet ex quo alias nunquam veniale per absolutionem remitteretur in Sacramento Pœnitentiæ,

cum

cùm semper remissum supponeretur per retractationem, quæ debet absolutionem præcedere; hinc pluribus placet asserere venialia subinde remitti per extrinsecam Dei condonationem.

Mortalia vel remittuntur extra Sacramentum, vel in Sacramento. Extra Sacramentum remittuntur per actum perfectæ charitatis vel contritionis, & per martyrium ex privilegio. Remissio in Sacramento per se fit in Sacramento Pœnitentiæ, & Baptismi, quæ idcirco dicuntur Sacramenta mortuorum, per accidens autem probabilius, ut alibi dixi, potest fieri etiam in aliis Sacramentis.

Peccata venialia probabiliter remitti posse etiam in alia vita dixi in tractatu de homine. In hac vita autem remitti possunt (loquor nunc de venialibus non conjunctis cum mortalibus) primo in Sacramento Pœnitentiæ, & etiam quandoque in aliis Sacramentis, si adsit sufficiens retractatio. Extra Sacramentum remitti possunt per actum perfectæ contritionis ad illa se extendentis, per actum charitatis, per Sacramentalia saltem mediate, quatenus hæc ex Ecclesiæ instituto excitant in homine pios motus, quibus postea immediate meretur remissionem venialium, & probabilius etiam per actum attritionis se extendentis ad illa.

Hæc ultima pars asserti controversa est contendentibus aliquibus per attritionem extra Sacramentum non posse remitti venialia, idque ex sequentibus rationibus.

I. Si remitteretur, nunquam illa remitteret Sacramentum Pœnitentiæ; supponerentur enim semper remissa per actum vel contritionis vel attritionis: hoc autem esset contra Tridentinum docens (a) peccata venialia expiari per Sacramentum Pœnitentiæ, & per alia media.

(a) *Sess.* 14. *cap.* 5.

II. Vel per attritionem delerentur omnia venialia, & hoc est valde durum; nam attritio potest esse valde remissa, & venialia possunt esse multa & valde intensa: vel deleretur aliquod tantum, & neque hoc dici potest; quare enim deleretur unum potius, quam aliud?

Sed his non obstantibus probabilius videtur assertum; nam ex allato superius Tridentini testimonio etiam per alia media præter Sacramentum Penitentiæ remittuntur venialia. At si per alia media, certe per attritionem, quæ & est actus supernaturalis, & elicitus, ut supponitur, ab homine Dei amico, & est directe oppositus ipsis venialibus, cum sit illorum retractativus.

Ad I. ergo rationum oppositarum ℟. aliquando utique posse evenire, ut Pœnitentia supponat deleta venialia, non deleat, sed hoc ex una parte potest etiam accidere circa mortalia, quæ aliquando possunt esse antecedenter deleta per contritionem; ex alia non semper attritio delet venialia saltem omnia, quia attritio extra Sacramentum non remittit venialia nisi per modum meriti, adeoque proportionaliter ad suum intrinsecum valorem, qui potest esse parvus, cum venialia sunt magna & plura, adeoque superiora activitati ipsius attritionis (quod idem dicendum proportionaliter de contritione & charitate). In Sacramento autem delentur omnia venialia, ad quæ attritio se extendit. Ergo &c.

Ad II. ℟. cohærenter ad dicta non semper equidem remitti per attritionem omnia venialia, sed quando omnia non remittuntur, illa remittuntur quæ Deo magis placebit remitti.

Majus autem est dubium, an per quemcunque alium actum supernaturalem virtutis elicitum ab homine justo possint deleri venialia. Affirmant aliqui contendentes nec requiri tunc formalem retractationem, sed sufficere, quod homo non habeat actualiter affectum ad illa; nam, dicunt ipsi, est de ratione offensæ levis, ut com-

pen-

penſetur per quodcumque obſequium offenſæ proportionatum, etſi formaliter non retractativum ejusdem offenſæ. Sed probabilius negant alii aliquam ſemper retractationem requirentes, ut peccata deleantur, cum videatur indecens, ut peccata remittantur ei, qui remanet habitualiter ad ipſa converſus, ut remanet, qui nondum illa retractavit.

At dimiſſo peccato, ſi aliquis denuo peccet, redeuntne priora peccata in animam, ſeu, ut dici ſolet, reviviſcuntne?

Putarunt quidam antiqui per novum lethale reviviſcere lethalia jam dimiſſa, hocque tum quoad reatum culpæ, tum quoad reatum pœnæ æternæ. Hæc ſententia eſt jam antiquata adeoque cenſent modo communiter Theologi peccata jam dimiſſa, quæmcumque ſint, non reviviſcere nec quoad reatum culpæ, nec quoad reatum pœnæ, quæ antecedenter fuerat remiſſa, adeoque nec redire pœnam æternam, quæ ſemper ex dictis remittitur, cum remittitur mortale, nec pœnam temporalem, quæ forte remiſſa fuit, cum remiſſum eſt peccatum. Cum his ſit

Assertio. *Peccata jam dimiſſa non reviviſcunt per ſubſequens peccatum.*

Prob. ex Scriptura. Hac docemur Deum non conditionate & revocabiliter, ſed abſolute & irrevocabiliter concedere remiſſionem peccati juxta illud: (*a*) *Sine pœnitentia ſunt dona Dei.* Ergo &c.

Prob. ex Gelaſio dicente: (*b*) *Divina clementia peccata dimiſſa in ultionem ulterius redire non patitur.*

Prob. ex communi ſenſu Theologorum ita modo ſentientium.

 Obj.

(a) *Rom.* 11.

(b) *Cap. finali de Pœnit. diſt.* 4.

Obj. ex Scripturis parabolam de servo, (a) cui dimissum jam fuerat omne debitum, sed ob sævitiem, quam in conservum exercuit, fuit traditus tortoribus, *quousque redderet universum debitum* jam dimissum: qua narrata parabola sic Christus subdit: *Sic Pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris*. Ergo &c.

℟. cohærenter ad alibi dicta in parabolis non omnia esse aptanda figurato per illas, sed tantum scopum esse attendendum. Hic autem in casu est solum ostendere Deum severe acturum cum immisericordibus, ut dure egit Dominus, de quo in parabola, cum servo; quidquid sit, utrum idem utrobique futurus sit modus pœnæ. Sed etiam ulterius responderi potest parabolam multipliciter explicari: primo ita ut nomine debiti, cujus Dominus exegit solutionem a servo per illud: *Tradidit eum tortoribus, quousque redderet universum debitum*, veniat non prius debitum jam dimissum, sed debitum novum contractum ob sævitiem in conservum, cujus pœnam voluit Dominus a servo exigere absque ulla remissione, & sic ex parabola non potest colligi, nisi quod peccator jam justificatus, si in novum peccatum labatur, ob illud absque remissione punietur, si in illo moriatur: secundo ita ut nomine illius debiti veniant priora debita, & sic dici potest, quod in casu assertionis redeant priora peccata, improprie tamen, scilicet vel quatenus redit reatus similis prioribus reatibus jam transactis, vel quatenus ratione antecedentis remissionis novum peccatum est gravius (utpote involvens etiam ingratitudinem), quam fuisset, si non præcessisset remissio peccatorum antecedentium, vel quatenus in pœnam peccati crudelita-

(a) *Matt.* 18.

litatis Deus permittit hominem in tot peccata labi, ut pœna ipsis debita adæquet pœnam debitam prioribus peccatis dimissis, vel quatenus Deus ob relapsum non condonat pœnas temporales post peccatum residuas, quas condonaret, si homo amplius non relaberetur (& de pœnis temporalibus sermonem haberi in parabola probat, quod dicitur: *Tradidit eum tortoribus, quousque redderet universum debitum.*) Ergo &c.

Posito ergo quod per subsequens peccatum non reviviscant peccata antecedenter dimissa, examinandum remanet, an per remissionem peccati reviviscant merita antecedentia ipsum peccatum. Antequam aliquid circa hoc statuam

Noto, seu potius recolo ex dictis in tractatu de gratia bona opera scindi in *viva*, *mortua*, & *mortificata*. Viva sunt opera facta in gratia; * mortua sunt opera facta in statu lethalis: mortificata sunt opera facta quidem in gratia, sed considerata cum homo non est amplius in gratia, sed in statu peccati. De merito operum tum vivorum, tum mortuorum hic non est quæstio, sed solum de merito operum mortificatorum. Hoc prænotato sit

Assertio. *Sublato per pœnitentiam peccata merita mortificata reviviscunt, idest in pristinum vigorem restituuntur.* Est communis.

Prob. ex Scripturis. Apostolus increpans Galatas, quod post gloriosos labores pro Christo toleratos in peccata essent prolapsi, inquit: (a) *Tanta passi estis sine causa?* & statim subjungit: *Si tamen sine causa*: quæ verba ita explicantur ab Interpretibus, ut potuerint Galatæ per pœnitentiam meritum laborum præcedentium recuperare. Ergo &c.

Prob. ex Tridentino, quod ait: (b) *Justificatis hominibus sive acceptam gratiam perpetuo con-*

(a) *Gal.* 3. (b) *Sess. 6. cap.* 16.

* Se considerado no estado em que permanet

conservaverint, sive amissam recuperaverint &c., ubi supponit gratiam amissam recuperari: & infra (a) tres tantum assignat conditiones, ut opera nostra vitam æternam consequantur, nimirum ut sint hominis justi, ut facta sint cum auxilio gratiæ, & ut homo, qui ea fecit, decedat in gratia: quæ cum verificentur etiam circa merita mortificata, consequenter hæc etiam præmium obtinebunt, adeoque reviviscent. Ergo &c.

Prob. ratione congruentiæ; nam ex una parte dimissis peccatis supponitur jam Deo exhibita, & ab ipso acceptata satisfactio pro illis: ex alia verificatur, quod homo justificatus nondum accepit præmium condignum pro operibus bonis factis ante peccatum. Remanet ergo adhuc retribuendum præmium pro illis, quod idem est, ac si dicamus illa reviviscere. Quod confirmant aliqui hoc exemplo. Sit Rex alicui civi ex legitimo titulo debitor mille aureorum: si hic civis offendat Regem, poterit quidem Rex in pœnam offensæ illos mille aureos denegare. At si vel offensor, vel alius pro eo Regi satisfaciat, & hic satisfactionem acceptet, congruentissimum est, ut non amplius mille aureos civi deneget. Ita a pari in casu. Dixi *esse congruentissimum &c.*; posset enim absolute Deus ita remittere peccata, ut nullam vellet haberi rationem operum ante peccatum factorum, sed, cum non constet id velle, præsumendum est potius oppositum, quod infinitæ misericordiæ magis est consentaneum.

Obj. ex Scripturis. Ita se habet meritum ad peccatum, ut ipsum peccatum ad justificationem, cum ita loquatur Deus de ablatione peccati facienda per justificationem, ut de ablatione meriti facienda per peccatum; nam sicuti dicitur: (b) *Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniqui-*

(a) *Can.* 32. (b) *Ezech.* 18.

quitatum ejus, quas operatus est, non recordabor: ita dicitur: (*a*) *Si averterit se justus a justitia sua, & fecerit iniquitatem &c., omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur*. Atqui peccatum ex supra dictis per juſtificationem ita tollitur, ut non amplius reviviscat. Ergo &c.

R/. stare utique paritatem inter utrumque casum relate ad tempus, quo homo juſtus in justitia perseverat, & peccator in peccato, non autem stare relate ad tempus, quo peccator juſtificatus est, vel justus a justitia excedit; in primo enim casu Deus non imputat justo peccata, aut peccatori merita: in secundo Deus noluit redire peccata, cum homo antecedenter juſtificatus habitur, ut supra probatum est, voluit redire merita, cum peccator juſtificatur, ut constat ex supra adductis probationibus. Disparitas petitur ex libera Dei voluntate respiciente tamen majorem pronitatem, quam habet exercendi misericordiam, quam justitiam.

Obj. ex ratione. Si merita reviviscerent, Deus conferendo pro illis præmium, vel exerceret misericordiam, vel justitiam. At non potest exercere misericordiam; non enim est actus misericordiæ retribuere præmium illi, qui habet meritum: neque potest exercere justitiam, alias Deus non retribuendo præmium esset injustus, sicque non posset saltem in alia providentia illud denegare talibus meritis. Ergo &c.

R. Deum in casu nec solam misericordiam exercere, nec solam justitiam, sed utramque. Exercet misericordiam & quatenus voluit decernere præmium bonis operibus etiam reviviscentibus, quod absolute loquendo poterat non decernere, & quatenus ipse misericorditer vocat peccatorem ad pœnitentiam, qua posita merita revivi-

B 6

(a) *Ibid.*

viviscunt: exercet autem justitiam, quatenus dat illud, ad quod dandum se misericorditer obligavit. Ex quo patet potuisse Deum in alia providentia non redonare merita; nam potuisset non se obligare.

Controversia est inter Theologos, an merita, quæ reviviscunt, secundum se tota reviviscant, & ad idem præmium, quod illis correspondebat ante peccatum, necne. Sunt qui putant ipsa reviviscere quoad aliquod tantum gaudium accidentale in cœlo obtinendum. Alii volunt ea reviviscere solum quoad illud idem præmium, quod est debitum actibus, quibus mediantibus reviviscunt, hoc sensu, quod ipsissimum præmium duplici titulo sit debitum, nimirum & propter hos actus, & propter merita præcedentia. Alii volunt ea reviviscere etiam ad prius præmium non absolute, sed juxta dispositionem, qua homo a peccato resurgit, ita ut si merita præcedentia erant ut octo, dispositio vero præsens sit solum ut duo, illa merita reviviscant solum ad præmium ut duo. Alii tandem volunt, quod reviviscant ad idem omnino præmium, quod ante peccatum illis correspondebat. Cum his sit

Assertio. *Merita reviviscentia ad idem præmium reviviscunt, quod illis ante peccatum correspondebat.*

Prob. Cum merita reviviscunt, sublatus est obex, qui illorum vim præpediebat. Sed cum hic obex sublatus est, merita reviviscunt modo dicto; nihil enim tunc impedit illorum vim. Ergo &c.

Obj. ex Conciliis. Tridentinum docet (*a*) gratiam conferri juxta propriam justificati dispositionem. Si ergo dispositio fingatur ut quatuor, gratia conferretur solum ut quatuor, etsi, prout hæc

(a) *Sess. 6. cap. 7.*

hæc correspondebat prioribus meritis, esset ut octo. Ergo &c.

℟. Tridentinum loqui de gratia nunquam antecedenter habita, quæ sane confertur juxta dispositionem peccatoris, non autem de gratia recuperata, quæ recognoscit quidem dispositionem peccatoris ut conditionem necessariam, non autem ut sui mensuram.

Obj. ex ratione. Si peccator resurgeret ut dictum est, reportaret commodum ex suo delicto; nam si supponamus ipsum habuisse ante peccatum merita ut octo, adveniente peccato, & postea sublato per pœnitentiam, cui correspondeat gratia ut quatuor, duodecim gradus gratiæ obtineret, quos non obtinuisset, nisi peccasset; remansisset enim cum prioribus octo gradibus. Hoc non. Ergo &c.

℟. argumento probari Sacramentis mortuorum non conferri gratiam; nam qui recipit gratiam vel Baptismi, vel Pœnitentiæ commodum reportat ex suo delicto hoc sensu, quod si non deliquisset, non esset capax horum Sacramentorum, adeoque gratiæ per illa collatæ. Directe ℟. peccatorem quidem a peccato semper cum ampliori gratia resurgere, quam haberet ante peccatum; nam & priorem recuperat, & aliam acquirit correspondentem Sacramento Pœnitentiæ, vel aliis actibus, qui immediate ad justificationem concurrunt: sed non proinde commodum reportat ex suo delicto; nam ex una parte si perstitisset in gratia, potuisset alia Sacramenta recipere, vel etiam Sacramentum Pœnitentiæ confitendo venialia: potuisset insuper tot actus virtutum exercere, ut majorem acquireret gratiam, quam acquisivit resurgendo a peccato. Ex alia vero parte tot sunt mala, quæ proveniunt a peccato, ut etsi aliquod commodum per accidens peccato posito in peccatorem redundaret, semper esset anteponenda horum incommodorum evitatio acquisitioni talis commodi. Hæc autem mala sunt, & quod per peccatum homo fiat inimicus Dei,

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

&

& quod conſtituatur in periculo damnationis, & quod fiat impotens durante peccato ad exercenda opera de condigno meritoria vitæ æternæ, & quod per peccatum contrahat pravas inclinationes pravoſque habitus, a quibus etiam poſt juſtificationem non ſemper eximitur. Ergo &c.

Omnia peccata remitti poſſe per Pœnitentiam commodius probabitur capite ſequenti, ubi oſtendetur Eccleſiam poſſe quæcumque peccata condonare.

ARTICULUS QUARTUS.

Quoniam in ſequentibus capitibus acturus ſum de Pœnitentia, ut eſt Sacramentum, adeoque de Pœnitentia privata, non abs re erit hic aliqua afferre circa Pœnitentiam publicam, quæ olim in Eccleſia adhibebatur. Duplex autem hæc erat, altera peragenda ante Baptiſmum ab adultis, & de hac nihil nunc dicendum occurrit; altera poſt Baptiſmum ab iis, qui in aliquod crimen lapſi fuiſſent, & de hac ex profeſſo hic agendum. Porro circa hujuſmodi Pœnitentiam hæc poſſunt inquiri 1. quonam tempore fuerit in uſu: 2. quinam eſſent illius ritus: 3. quænam perſonæ fuerint illi ſubjectæ. Ubi tamen moneo me indicaturum quæ communius ad publicam Pœnitentiam ſpectabant; variam enim fuiſſe diverſis locis & temporibus circa illam Eccleſiæ disciplinam fatendum eſt.

Circa primum quamvis a tempore Apoſtolorum uſque ad medietatem ſecundi ſæculi aliquis eſſet uſus publicæ Pœnitentiæ, non tamen apparet longo tempore hanc peragi debuiſſe; nam ex antiquis monumentis illius ætatis, quamvis Pœnitentiæ mentionem ſubinde facientibus, conſtat tunc poſt breviſſimam Pœnitentiam fuiſſe peccatores abſolutos, ut colligitur ex Euſebio narrante S. Joannem Evangeliſtam poſt redactum ad Pœnitentiam juvenem, qui per plures annos fuerat dux latronum, eundem brevi ad Eccleſiæ communionem

mu-

munionem admisisse; & pariter narrante Zephyrinum Papam brevi ad eamdem communionem admisisse Natàlium Episcopum pœnitentem. Post medietatem autem secundi sæculi usque ad hæresim Novatianam, quamvis nondum adeo rigorosa esset publica Pœnitentia, diuturnius tamen illius cœpit esse tempus; ut enim Patres occasionem Montanistis auferrent Ecclesiam calumniandi, quasi hæc nimia facilitate peccatores absolveret, aliquanto durius cum ipsis agere cœperunt. Hinc S Cyprianus acriter invehitur in lapsos, qui muniti libellis Martyrum vel nulla vel brevi acta pœnitentia postulabant reconciliationem, sicuti etiam invehitur in Presbyteros nimis faciles in dicta reconciliatione concedenda iisdem Pœnitentibus. Sed post exortam hæresim Novatianam publicæ Pœnitentiæ leges & quidem severissimæ sunt statutæ, quæ quidem in Ecclesia Orientali per totum quartum sæculum, in Occidentali per totum septimum sunt observatæ, sed post hæc respective tempora relaxata fuit hæc disciplina, & fere abrogata.

Quoad secundum quatuor fuerunt solemnes gradus seu stationes Pœnitentiæ, videlicet *fletus*, *auditio*, *substratio*, & *consistentia*. Statio *fletus* erat extra portam Templi. Ibi stabant constituti in ordine *flentium* vestiti cilicio, & cinere conspersi, atque ingredientes & egredientes e templo orabant, ut Deum & Ecclesiam pro ipsis præcarentur. Statio *audientium* erat in vestibulo Templi (vel etiam aliquando, ut conjicit Morinus, intra Templum, ut possent audire lectionem Scripturæ, & conciones, quas in Templis paulo amplioribus stantes in vestibulo audire non potuissent: ita tamen ut, cum necessitas urgeret, nonnisi in infima parte templi & prope januam consisterent), ubi poterant esse etiam Ethnici, Hæretici, & Cathecumeni. Ibi poterant stare audientes tempore concionum, lectionis Scripturæ, & cantus Psalmorum, sed ante offertorium Missæ ejiciebantur.

Sta-

Statio *substrationis* erat in Templo a januis usque ad Ambonem, ad eum scilicet locum, in quo Diaconus legebat Evangelium, quique locus erat fere in medio Templi, ut modo sunt in Ecclesiis nostris suggesta seu pulpita. Isti & concionibus & recitationi Psalmorum poterant interesse, sed & ipsi ante offertorium ejiciebantur. Statio *consistentiæ* erat ab Ambone versus Sanctuarium. *Consistentes* sic dicebantur, quia tempore divinorum Officiorum non ejiciebantur, sed intra Templum permanebant, & omnium illorum erant participes, quorum erant alii fideles excepto Sacramento Eucharistiæ. Ubi noto primos duos gradus, flentium scilicet & audientium fuisse veluti præparatorios ad Pœnitentiam; non enim qui ad duos hos gradus pertinebant, publicis orationibus Ecclesiæ, frequenti manuum impositione determinatorum operum laboriosorum purgabantur, sed postquam semel impositionem manuum in ingressu harum stationum ab Episcopo cum correspondentibus orationibus accepissent, non amplius accipiebant, aut publicæ orationes pro illis fundebantur, quasi jam indigni judicarentur pro quibus Ecclesia publice oraret, nec illis præter stationem in adductis gradibus alia opera laboriosa imponebantur, quamvis hæc sponte ut plurimum exercerent. Sed emensis his duobus gradibus cum ad tertium substratorum pervenissent, vere Pœnitentes considerabantur; tunc enim frequentissime in divinis Officiis post expulsionem audientium Episcopus illis manus imponebat, orationesque super illos fundebat, atque opera mortificativa injungebat, post quæ ab Ecclesia pellebantur, atque occlusis foribus complebantur sacra mysteria.

Ab uno gradu ad alium ascendebatur post expletum tempus statutum, nisi tamen aliter judicasset Episcopus, qui poterat ex rationabili causa, & præcipue spectato Pœnitentium fervore, ab infimo gradu ad supremum intermediis præ-

prætermissis elevare. Solebat imponi Pœnitentia ab Episcopo sub initio Quadragesimæ per impositionem cilicii & cineris, unde usus invaluit imponendi cineres capitibus fidelium prima die Quadragesimæ. Non omnia peccata publicæ Pœnitentiæ subjiciebantur, sed illa dumtaxat, quæ *canonica* dicebantur, idest Idololatria, adulterium, & homicidium, eorumque species subalternæ, nec non illa, quæ a potestate publica pœna mortis puniebantur, quibus alia aliqua atrociora identidem adjuncta sunt: & hæc quando erant publica ita publicæ Pœnitentiæ subjiciebantur, ut Ecclesia illorum reos ad eandem Pœnitentiam adigeret vel invitos, quando vero erant occulta, non subjiciebantur, nisi postquam reus juxta judicium Confessarii publicam pro illis Pœnitentiam postulasset: quod servatum est per sex priora sæcula; septimo enim sæculo consuetudo introducta est, ut peccata publica quidem publica etiam Pœnitentia punirentur, occulta vero nonnisi occulta. Absolutio etiam sacramentalis graviorum criminum reis subinde non concedebatur nisi post expletam pœnitentiam. Excipiebantur tamen hi casus: si adfuisset periculum mortis, si fuisset periculum, ne Pœnitens desperatione adactus ad Gentiles vel Hæreticos transiret, si imminens fuisset persecutio, si Pœnitentes arduum aliquid & eximium egissent pro Christo & Religione, si adfuisset periculum schismatis, si ex absolutione lapsorum magnum bonum Ecclesiæ obtineri potuisset, & tandem si intercessissent propriis commendationibus Martyres. Circa quod postremum sciendum, quod aliquando Martyres, ii scilicet, qui vel in carceribus tempore persecutionum propter fidem detinebantur, vel tormenta ex eadem causa jam subierant, Pœnitentes Episcopis commendabant per libellos, qui dicebantur *libelli Indulgentiarum*. Episcopi autem in gratiam Martyrum vel omnino, vel saltem ex parte Pœnitentibus pœnam statutam relaxabant.

Pœ-

Pœnalitates, quibus publici pœnitentes subjiciebantur, istæ erant: 1. abstinere a Communione: 2. non promoveri ad Clericatum: 3. abstinere a nuptiis: aliquando tamen ad vitandum periculum fornicationis adolescentibus permittebatur nubere: 4. non accedere ad militiam sæcularem: 5. nullum suscipere in Baptismo vel Confirmatione: 6. carere extrema Unctione: 7. venire ad Ecclesiam diebus jejuniorum: 8. sepelire mortuos: 9. genuflectere diebus Dominicis & tempore Paschali, cum fideles orantes stabant: 10. non ire ad balnea & convivia, & assiduis orationibus, jejuniis, sacco & cinere incumbere.

Tempus publicæ Pœnitentiæ erat vel majus, vel minus prout majora vel minora erant crimina, ob quæ Pœnitentia infligebatur. Quodcumque fuisset, diuturnum sæpe illud erat; aliquando enim erat quinque annorum, aliquando decem, aliquando viginti, aliquando etiam totum vitæ tempus comprehendebat.

Semel tantum in vita Christiani publica pœnitentia puniebantur, unde qui post illam actam in eadem vel etiam graviora crimina incidebat, non amplius publicæ Pœnitentiæ subjiciebatur, sed tantum privatæ.

Quoad tertium tempore, quo viguit usus publicæ Pœnitentiæ, omnes Laici & Clerici minores fuerunt ipsi Pœnitentiæ subjecti. Majores Clerici eidem per tria priora sæcula probabilius subjecti fuerunt, quamvis fortasse non integræ ut alii, post illa vero ab eadem fuerunt exempti, nisi tamen eam pietatis & humilitatis animo postulassent.

CAPUT SECUNDUM.

Notio exhibetur Sacramenti Pœnitentiæ.

AFferam 1. definitionem hujus Sacramenti, illique rationem Secramenti vindicabo: 2. agam de illius partibus.

AR-

ARTICULUS PRIMUS.

Ad Pœnitentiam modo, ut est Sacramentum, transeundo dico illum esse *Sacramentum, quo mediantibus actibus Pœnitentis, videlicet contritione, confessione, & satisfactione, nec non Sacerdotis absolutione peccata remittuntur post Baptismum commissa.* Definitio per se patet, & magis etiam patebit ex dicendis.

Sacramentum hoc, si credimus Bellarmino, negarunt Montanistæ & Novatiani. Sunt tamen qui probabilius contendunt ab his non fuisse negatum simpliciter hoc Sacramentum, sed tantum fuisse negatam vim generalem remittendi peccata, cum aliqua & quidem graviora dicerent remissibilia a solo Deo. Quidquid sit de hoc, recentiores Hæretici, Zuinglius & Calvinus Pœnitentiam e Sacramentis expungunt, vel saltem volunt Pœnitentiam, quæ habet rationem Sacramenti, nihil aliud esse nisi Baptismum, quod quidem non ita intelligunt, quasi quod Baptismus toties repeti debeat, quoties indigemus remissione peccatorum, sed quod Baptismus semel collatus habeat vim remittendi tum peccata antecedentia, tum subsequentia. Lutherus aliquando hoc Sacramentum admisit, aliquando negavit, constanter autem docuit absolutionem Sacerdotis non esse actum judicialem, quo vere peccata dimittantur, sed esse meram extrinsecam declarationem remissionis aliunde causatæ. Ut errores hi confutentur, sit

Assertio prima. *Dedit Christus Ecclesiæ auctoritatem remittendi omnia peccata.* Est de fide contra Montanistas & Novatianos.

Prob ex Scripturis. Christus dixit Petro: (a) *Tibi dabo claves regni cœlorum: quodcumque ligave-*

(a) *Matt.* 16.

gaveris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis. Quo loco Petro & consequentur Ecclesiæ dedit Christus facultatem solvendi nulla facta limitatione. Huic simile est illud: (a) *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*. Nec dicas verba hæc Christi de correctione, & pace fraterna intelligi ab Augustino dicente: (b) *Cæpisti habere fratrem tuum tamquam publicanum, ligas illum in terra, sed ut juste alliges, vide; nam injusta vincula disrumpit justitia: cum autem correxeris & concordaveris cum fratre tuo, solvisti illum in terra: cum solveris in terra, erit solutus & in cælo*; nam quamvis Augustinus, aliique Patres loca adducta ita aliquando interpretentur, non tamen negant, imo alibi expresse asserunt, intelligenda esse peculiariter & magis proprie de potestate Sacerdotum in ordine ad remittenda peccata: & ipse Augustinus hanc potestatem Sacerdotibus (c) alibi collatam agnoscit, unde Tridentinum ait: (d) *Si quis dixerit verba illa Domini Salvatoris* accipite Spiritum S., quorum remiseritis peccata &c, *non esse intelligenda de potestate remittendi & retinendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ, sicut Ecclesia* Catholica *ab initio semper intellexit, anathema sit*.

Prob. ex Conciliis. In Romano II. sub Cornelio opinio Novati declarata est (e) immanissima & a fraterna charitate aliena, & decretum, fratres, qui in calamitatem inciderant, curandos esse & confovendos. Lateranense IV. ait (f): *Si post susceptionem Baptismi quispiam prolapsus fue-*

(a) *Jo.* 20.
(b) *Serm.* 82. *al.* 16. *de verb. Dom. n.* 7.
(c) *Tract.* 49. *in Jo. lib.* 20. *de Civ. Dei cap.* 9.
(d) *Sess.* 14. *Can.* 3. (e) *An.* 251.
(f) *Cap.* Firmiter.

fuerit in peccatum, per veram poteſt ſemper Pœnitentiam reparari: & Tridentinum (*a*): *Novatianos remittendi poteſtatem olim pertinaciter negantes magna ratione Eccleſia Catholica tanquam hæreticos exploſit, atque condemnavit*.

Prob. ex Patribus. S. Cyprianus ait (*b*): *Miror quoſdam ſic obſtinatos eſſe, ut dandam non putent lapſis pœnitentiam, aut pœnitentibus exiſtiment veniam denegandam, cum ſcriptum ſit: Memento unde cecideris, & age pœnitentiam, & fac priora opera*: & poſtquam pluribus idem egregie confirmavit, ſubdit: *Si invenimus a pœnitentia agenda neminem deberi prohibere, & deprecantibus atque exorantibus Domini miſericordiam, ſecundum quod ille miſericors & pius eſt, per Sacerdotes ejus pacem poſſe concedi, admittendus eſt plangentium gemitus, & pœnitentiæ fructus dolentibus non negandus*, S. Ambroſius ait (*c*): *Deus diſtinctionem non facit, qui miſericordiam ſuam promiſit omnibus, & relaxandi licentiam Sacerdotibus ſuis ſine ulla exceptione conceſſit*. S. Auguſtinus (*d*): *Nec eos audiamus, qui negant Eccleſiam Dei omnia peccata poſſe dimittere. Itaque miſeri dum in Petro petram non intelligunt, & nolunt credere datas Eccleſiæ claves regni cœlorum, ipſi eas de manibus amiſerunt*. Ergo &c.

Obj. ex Scripturis. I. hæ docent Deum aliqua peccata abſolute nolle dimittere; dicitur enim (*e*): *Quaſi romphæa bis acuta omnis iniquitas, plagæ illius non eſt ſanitas*: & alibi (*f*): *Quia vocavi, & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit, qui aſpiceret . . . . tunc invocabunt me, & non exau-*

(a) *Seſs.* 14. *cap.* 1.
(b) *Ep.* 52. *ad Antoninum*.
(c) *Lib.* 1. *de Pœnit. cap.* 2.
(d) *De agon. Chriſt. cap.* 31.
(e) *Eccl.* 21. (f) *Prov.* 1.

exaudiam, mane consurgent, & non invenient me: rursus (*a*)*: Super tribus sceleribus & super quatuor non convertam eum:* & de Antiocho dicitur (*b*)*: Orabat hic scelestus Dominum, a quo non erat misericordiam consecuturus:* & de Esau (*c*)*: Non invenit Pœnitentiæ locum, quamquam cum lachrimis inquisiisset eam:* rursus dicit Christus: (*d*) *Omne peccatum, & blasphemia remittetur hominibus., spiritus autem blasphemiæ non remittetur: & quicumque dixerit verbum contra Filium hominis remittetur ei, qui autem dixerit contra Spiritum S., non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro:* rursus (*e*)*: Quæretis me, & in peccato vestro moriemini:* & Apostolus ait (*f*)*: Impossibile est eos, qui semel illuminati sunt, gustaverunt etiam donum cæleste, & participes facti sunt Spiritus S., gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque seculi venturi, & prolapsi sunt, rursus renovari ad Pœnitentiam.* Ergo &c.

II. Docent Scripturæ Deum nolle aliqua peccata dimittere saltem per alios; dicitur enim (*g*)*: Si peccaverit vir in virum, placare ei poterit Deus, si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo?* & alibi (*h*)*: Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis:* tandem (*i*)*: Voluntarie peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia, terribilis autem quædam expectatio judicii, & ignis æmulatio.* Ergo &c.

Ad I. ℞. Argumentum probare etiam contra Novatianos, qui, licet velint non posse ab Eccle-

sia

(a) *Amos* 1. (b) 2. *Machab.* 9.
(c) *Heb.* 12. (d) *Matt.* 12.
(e) *Jo.* 8. (f) *Heb.* 6. (g) 1. *Reg.* 2.
(h) 1. *Jo.* 5. (i) *Heb.* 10.

sia omnia peccata dimitti, contendunt tamen illa dimitti a Deo, quem proinde dicunt orandum pro hac remissione, unde supponunt Deum, quantum est ex se, paratum esse ad omnia dimittenda peccata. Sed prætérea ad singula. Primus ergo locus indicat vel hominem non posse a peccato sanari propriis viribus, vel difficillimum esse, quod post peccatum ad illum sanitatis gradum restituatur, in quo erat ante peccatum, cum post illud etiam dimissum remaneant pravi habitus, reatus culpæ temporalis &c. Secundus & tertius solum probant Deum aliquando denegaturum efficacem Pœnitentiæ gratiam illi, qui abusus est divina misericordia antea se vocante. Antiochus porro nec in morte egit sinceram pœnitentiam, sed ipsum solum pœnituit ex timore serviliter servili, ita scilicet, ut cessante hoc timore voluisset denuo peccare. Quod additur de Esau non est ad rem, cum ibidem non agitur de Pœnitentia Esau ob peccata, sed vel de Pœnitentia Isaac patris sui, quatenus scilicet Esau non potuit lachrymis obtinere, ut Isaac pœniteret benedictionis jam datæ Jacobo, atque illam in se transferret: vel de pœnitentia ipsius Esau non de peccatis, sed de venditione primogenituræ, cujus venditionis etsi eum pœnituerit, non tamen potuit clamoribus & lachrymis illam rescindere, atque primogenituram illiusque benedictionem ad se revocare.

Per peccatum autem, quod Christus loco sequenti dicit irremissibile, vel intelligitur actualis impœnitentia de divisione ab Ecclesia, ut aliquando intellexit S. Augustinus (*a*), vel duritia cordis in resistendo veritati cognitæ, ut alii intelligunt (cohærenter ad contextum, in quo Christus reprehendit Pharisæos nolentes agnoscere in miraculis suis virtutem divinam, sed ea diabolicæ arti

(a) *Sermo 72. in Evang. Matthæi al.* 11. *de verb. Domini cap.* 23.

arti tribuentes), & sic hoc peccatum dicitur irremissibile, solum quatenus difficilius aliis peccatis remittitur; consuetum enim erat Hebræis, ut, cum instituebantur comparationes ad exprimendum, quod aliqua ratio non esset æqualis in duobus extremis, sed potior in uno, quam in alio, illam de uno assererent, de alio negarent: sic dicitur (*a*): *Montes commovebuntur, & colles contremiscent, misericordia autem mea non recedet a te:* idest, *facilius commovebuntur montes, & colles contremiscent, quam misericordia mea recedat a te*: & alibi dicit Christus (*b*): *Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt*: idest explicante alio Evangelio (*c*): *Facilius est cœlum & terram præterire, quam de lege unum apicem cadere*. Ideo autem hoc peccatum cæteris difficilius remittitur, quia peculiarem in se malitiam habet, sive ob obstinationem manendi extra Ecclesiam, (si intelligatur primo modo), cum ita obstinatus velit carere mediis, quæ sunt in Ecclesia ad Pœnitentiam, sive ob peculiarem injuriam, quam irrogat Spiritui S. (si intelligatur secundo modo), a quo debet provenire cordis emollitio. Et sane idem peccatum non esse absolute irremissibile ostendit experientia; nam multi tum ex iis, qui aliquando obstinati permanserunt extra Ecclesiam, tum ex iis, qui restiterunt veritati cognitæ (& signanter miraculis Christi), postea conversi sunt, & veniam obtinuerunt. (Sed de hoc peccato in Spiritum S. infra redibit sermo, cum ventum erit ad objectiones ex Patribus) Alio loco dicit Christus, Judœos ipsum quærentes in peccato suo morituros, quia ipsum quærent non ex pœnitentia, sed ex perfidia, ut scilicet, cum audierint ipsum e mortuis surrexisse, eundem denuo occidant: ita S. Augustinus inquiens (*d*): *Quæretis*

(a) *Isai.* 54. (b) *Luc.* 21.
(c) *Ibid.* 16
(d) *Tract.* 38. *in Jo. n.* 2.

retis me non desideria, sed odio . . . quaesierunt illum Christum post quam abscessit ab oculis hominum, & qui oderant, & qui amabant, illi persequendo, illi habere cupiendo.

Loco sequenti Apostolus vel dicit impossibile peccantem post Baptismum renovari ad Pœnitentiam solum quatenus ipsi eadem Pœnitentia est admodum difficilis ob peculiarem malitiam peccati commissi ab homine, postquam evaserat filius & amicus Dei & cognoverat veritatem, & gustaverat per gratiam dulcedinem Spiritus S.; vel solum dicit impossibile, ut, qui post Baptismum deliquerunt, rursus per Baptismum mundentur, quod indicari videtur per illud *renovari ad Pœnitentiam*, cum solus Baptismus absolute renovet hominem ab ipso tollendo omnem tum culpæ tum pænæ reatum, quod ordinarie non facit Pœnitentia. Hæc autem secunda responsio est plurium Patrum advertentium hoc ideo dictum esse ab Apostolo, ne Hebræi putarent se pluries posse per Baptismum mundari, ut pluries per antiqua Sacramenta legaliter mundabantur. Ubi etiam advertit S. Ambrosius (*a*) Apostolum, qui remisit Corinthio jam baptizato peccatum, non potuisse adversus factum proprium prædicare, suamque sententiam reprehendere.

Ad II. ℟. Et hæc loca, si litteraliter accipiantur, nimis probatura; nam probabunt ne orandum quidem esse Deum pro remissione quorundam peccatorum, quod utpote desperationem inducens ab ipsis Novatianis rejicitur. Primus ergo locus hunc habet sensum: si vos (objurgabat enim tunc Heli filios suos retrahentes homines a sacrificiis) homines retrahitis a sacrificiis, hoc autem faciendo peccatum directe & immediate contra Deum committitis, quo alio modo Deum placabitis, cum nullus sit aptior modus ipsum pla-

(a) *Lib. 2. de Pænit. cap. 2.*

elandi, quam offerendo ipsi sacrificia? Vel *non excluditur*, ut ait S. Ambrosius (*a*), sed *tantum quaritur* qui oret pro peccante in Dominum, ut indicetur paucos esse in comparatione aliorum, qui efficaciter in casu oraturi sint: sicut dicitur: *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? Mulierem fortem quis inveniet?* non excluditur habitaturus in tabernaculo Domini, aut mulier fortis, sed tantum innuitur horum paucitas in comparatione aliorum. Ut interim omittam, quod verba adducta non sunt Spiritus S., sed hominis utique fallibilis. Secundo loco per peccatum ad mortem vel intelligitur impœnitentia finalis, ut intellexit S. Augustinus, dum ait (*b*): *Ego dico peccatum ad mortem esse fidem, quæ per dilectionem operatur, deserere usque ad mortem:* & sic non est mirum, si dicatur pro illo non esse orandum; nam cum consummatur homo, non est amplius in via, sed in termino: vel intelliguntur cum aliis alia peccata graviora conjuncta cum obstinatione & duritia cordis, & sic non dicit S. Joannes absolute non esse pro illis orandum, sed solum, cum antea promisisset exauditionem orationis illius, qui orat pro fratre non peccante ad mortem, de oratione facta pro peccante ad mortem id non promittit, quia non quæcunque oratio sufficit, sed peculiaris, & veluti extraordinariæ tunc orationes requiruntur, quas etiam non semper Deus exaudit. Tertius locus loquitur de eo, qui per Apostasiam deserit Christum, cum enim hic sit hostia placationis, qui Christum deserit, hostiam placationis deserit: quænam ergo alia hostia placabit Deum? Hoc autem non tollit, quin ad ipsum Christum denuo confugiendo advocatum ipsum possit habere apud Patrem, & ipsius auctoritate ab Ecclesia absolvi. Ergo &c.

Obj.

(a) *Lib.* 1. *de Pœnitent. cap.* 5.
(b) *De corrept. & grat. cap.* 12.

Obj. ex Patribus I. Ex iis aliqui indefinite docent quædam esse peccata irremissibilia. Ita S. Cyprianus inquiens (*a*), Noe, Jobum, & Danielem orasse pro peccatoribus, nec tamen veniam impetrasse.

II. Alii docent esse irremissibile peccatum illorum, qui post blasphematum nomen Domini se totos desideriis hujus sæculi tradiderunt. Ita Hermas de iis dicens (*b*): *Non est eis per Pœnitentiam regressus ad vitam. Hujusmodi homines morti sunt destinati:* quod idem infra (*c*) extendit ad proditores Ecclesiæ.

III. Alii dicunt irremissibile peccatum negantium Deum insectari malos. Ita auctor Constitutionum Apostolicarum inquiens (*d*): *Gravius delictum idololatria non reperitur .... nihilominus tamen & illud per sinceram Pœnitentiam condonatum est. Si quis vero instructa veluti acie rebellis delinquat tentans Deum quasi malos non insectantem, hujusmodi venia carebit.*

IV. Alii dicunt irremissibilem blasphemiam in Spiritum S. Ita S. Hilarius inquiens (*e*): *Cum cetera dicta gestaque liberali venia relaxentur, caret misericordia, si Deus negetur in Christo ... Omnino peccata cujuscumque generis remittenda; blasphemiam in Spiritum S. non remittendam esse, quid enim tam extra veniam est, quam in Christo negare quod Deus sit?* Ita etiam S. Pacianus inquiens (*f*): *Si omne peccatum & blasphemia relaxabitur, video veniam pœnitentibus non negari: sed qui in Spiritum S. blasphemaverit, non remittetur ei.* Ita etiam S. Ambrosius, qui de iis, qui opera Christi tribuunt Diabolo (hi autem juxta

C 2 supra

(a) *Lib. de lapsis.*
(b) *Lib. 3. Pastoris similit. 6.*
(c) *Ibid. similitud. 8*
(d) *Lib. 2. Constit. Apostolic. cap. 23. al. 27.*
(e) *Cap. 12. in Matt. n. 17.*
(f) *Epist. 3. ad Simpronian.*

supra allata blasphemant in Spiritum S.), ait (*a*): *Hos, qui hæc loquuntur, negat* (Christus) *ad veniam pertinere*. Ita tandem S. Hieronymus, qui confutans asserentes negationem Christi tormentorum vi factam esse irremissibilem, utpote blasphemiam in Spiritum S., ait (*b*): *Manifestum est peccatum in Spiritum S. ideo non posse dimitti, quod habeat blasphemiam, ut cum videas in virtutibus Deum, Beelzebub calumnieris in factis. Doceat igitur*) (Novatianus) *aliquem negatorem Beelzebub vocasse Christum, & ultro referam gradum negatorem non posse veniam consequi post ruinam*. Ubi patet Hieronymum Novatianis concedere blasphemiam in Spiritum S. irremissibilem. Quibus similia habent quoque alii Patres.

V. Alii tandem quorundam criminum veniam non ab Ecclesia, sed a solo Deo expectandam dicunt: ita Firmilianus, qui loquens de lapsis ait (*c*): *Non quasi a nobis remissionem peccatorum consequantur, sed ut per nos ad intelligentiam delictorum suorum convertantur, & Domino plenius satisfacere cogantur*: & S. Ambrosius ad virginem lapsam *Inhære*, inquit (*d*), *Pœnitentiæ usque ad extremum vitæ, nec tibi præsumas ab humana die veniam dari, quia decipit te qui hoc tibi polliceri voluerit; quæ enim proprie in Dominum peccasti, ab illo solo te convenit in die judicii expectare remedium*. Ergo &c.

Ad I. R/. S. Cyprianum loqui de iis peccatoribus, qui nolunt Pœnitentiam agere de peccato. Ita S. Pacianus, qui (*e*) advertit hæc dixisse S. Cyprianum, ut ostenderet frustra lapsos obtinuisse commendationes Martyrum & Confessorum ut ve-

(a) *Lib.* 2. *de Pænit. cap.* 4. *n.* 22.
(b) *Epist.* 42. *al.* 149. *ad Marcellam n.* 2.
(c) *Epist. ad S. Cyprian. inter Cyprianic.* 75.
(d) *De lapsu Virg. cap.* 8. *n.* 38.
(e) *Epist.* 3. *ad Simpronian.*

veniam consequerentur, nisi ipsos de lapsu pœnituisset. Ubi etiam addit S. Pacianus: *Sed Noe, inquis, & Daniel & Job filios & filias liberare non potuerunt: Et hoc tale est, si pro non rogantibus petant, si pro perseverante in crimine deprecentur, si non singulos, si non paucos, sed millia multa defendant. Caterum Noe domum suam a ruina publica liberavit, & Job recepit cuncta, quæ perdidit, & Daniel instantem illum sapientibus Babiloniæ gladium oratione decussit. Lot certe pro salute oppidi, Paulus pro vectoribus navis orat: sic absolvuntur a justis, qui pœnitere noverunt. Postremo vel illud aspicio, quod scriptum ait, ipsi soli salvi erunt. Qui illi? Ipsi utique, qui pro peccatoribus deprecantur, impune pro talibus postulabant. Et: Cur Ecclesiam damnas? Cur pro pœnitentibus prohibes deprecari, si etiam pro his petere licet, pro quibus non licet impetrare? Lege igitur diligentius Cyprianum meum, lege totam de lapsis epistolam, lege aliam, quam ad Antonianum dedit, ubi exemplis omnibus Novatianus urgetur, jam scies quid de pœnitentium curatione pronunciet.*

Ad II. Omisso, quod liber hic Hermæ quamvis multa utilia continens, in bibliotheca tamen Patrum dicatur caute legendus ob propositiones quasdam duras, quas continet, ℟. ideo hoc asseri, quia ibidem recensiti raro agunt Pœnitentiam, atque ex iis paucissimi convertuntur.

Ad III. Pariter omissa auctoritate harum Constitutionum, quas apocryphas esse, imo multis refertas erroribus communis jam sententia est, ℟. ibidem peccatorem dici venia cariturum, quia non aget Pœnitentiam, ex quo Deus peccatores hujusmodi soleat de mundo cito auferre, nec proinde iis relinquere spatium vitæ, ut pœnitentiam agant, quam ad tempus futurum differunt; ibi enim Auctor insectatur Ammon filium Manassis, quem introducit differentem Pœnitentiam ad provectam ætatem, & confidentem se postea veniam consecuturum exemplo Manassis, qui postquam juvenis

multa mala patrasset, postea ad Dominum conversus est, ab eoque veniam obtinuit, cum tamen Ammon spe sua frustratus fuerit; fuit enim occisus in juventute. Cæterum Auctorem harum Constitutionum non esse nobis contrarium patet ex iis, quæ infra habet (*a*): *Episcopus*, inquit, *conversos a peccatis, postquam sanaverit, recipiat: sin vero Pœnitentem immisericors ipse non admiserit, delinquet in Dominum . . . Hunc ad iram provocant, qui pœnitentes excludunt. Ille siquidem Matthæum antea publicanum non erubuit, & Petrum, qui eum ter propter metum negaverat, similiter Paulum, etsi initio . . . . in nomen sanctum blasphemasset.*

Ad IV. ℟. Nullum ex Patribus dixisse blasphemiam in Spiritum S. irremissibilem, nisi quatenus aliis difficilius remittitur; nam S. Hilarius infra (*b*) expresse docet *omnium omnino peccatorum veniam Deum nobis largiri:* & ipse in communionem recepit Arianos resipiscentes, qui tamen in Spiritum S. juxta ipsum blasphemaverant Deum in Christo negantes. S. Paciânus & ipse jam antea hæc habuerat: *Cum Christus dixit: quæcumque solveritis, erunt soluta, nihil excepit, non magna, non modica peccata.* Idem & expressius S. Ambrosius, qui ita alloquitur separatos ab Ecclesia (*c*): *Revertimini ad Ecclesiam, si qui vos separastis impie; omnibus enim conversis pollicetur veniam, quia scriptum est: Omnis, qui invocaverit nomen Domini, salvus erit. Denique etiam Judæorum populus, qui dicebat de Domino Jesu . . . In Beelzebub ejicit dæmonia*, qui proinde in Spiritum S. blasphemaverat . . . *Petri prædicatione vocatur ad Baptismum, ut sceleris tanti merita deponat.* Quod spectat ad Hieronymum, omittit ille quidem,

---

(a) *Capite sequenti.*
(b) *Cap.* 18. *n.* 10.
(c) *Ibid. num.* 26.

dem, sed non concedit Novatianis peccatum in Spiritum S. esse irremissibile. Cum scilicet Novatiani contenderent negatorem Christi veniam consequi non posse, idque huic argumento innixi: *Blasphemia in Spiritum S. est irremissibilis. Atqui negans Christum blasphemat in Spiritum S., Ergo hujus peccatum est irremissibile.* S. Hieronymus expostulatus a Marcella quid huic argumento respondendum esset, cum posset negare tum majorem tum minorem, majorem omisit, negavit vero minorem. Ideo autem majorem omisit, quia hæc, ut falsa ostenderetur, plus requirebat examinis, quam posset tunc ab ipso institui, quod indicat subjungens: *Fuerat quidem prolixius disserendum, sed quoniam amicis, & qui ad nostrum hospitiolum convenerunt, præsentiam nostram negare non possumus, & tibi non statim respondere visum est arrogantis, latam disputationem brevi sermone comprehendimus.* Ex his erui potest responsio ad alios Patres, qui irremissibilitatem peccati in Spiritum S. negare videntur. Sed

Instabis. Etsi detur alios Patres talem irremissibilitatem adstruentes explicari posse de difficultate remissionis, non ita tamen possunt explicari Origenes, Theognostus, & Athanasius; primi enim duo teste Athanasio (a) docuerunt peccata commissa post Baptismum esse irremissibilia, quia totidem blasphemiæ sunt in Spiritum S. Quod autem non ea dixerint irremissibilia, quia difficile remittuntur, sed quia absolute non possunt remitti, probat, quod Athanasius docet falsam esse illorum sententiam, quia peccata post Baptismum commissa a Corinthio incestuoso, & a Galatis fuerunt illis a S. Paulo dimissa, & quia admissa illorum sententia non esset culpandus Novatus, quippe qui idem docuit, scilicet non superesse spem veniæ peccantibus post Baptismum.

(a) *Epist. 4. ad Serapionem sive in illud Evang.* Quicunque dixerit &c.

Sane si ipsi asseruissent baptizatorum peccata esse solum difficile remissibilia, hæ duæ rationes adductæ ab Athanasio nihil contra illos probarent; posset enim stare & hæc peccata esse difficilis remissionis, & illa remissa aliquando fuisse a S. Paulo, Novatumque culpandum esse quod illa asseruisset absolute irremissibilia, cum e contrario dictæ rationes optimæ sint contra ipsos, si adstruxerunt peccata esse irremissibilia. Præterea ex eodem S. Athanasio ibidem alia & quidem validior ingeritur difficultas; nam quamvis S. Doctor confutet illam partem asserti Origenis & Theognosti, qua docebant omnia peccata baprizatorum esse blasphemias in Spiritum S., aliam tamen partem, in qua docebant blasphemiam in Spiritum S esse irremissibilem, ipse concedit, & pluries asserit hoc peccatum *veniam obtinere non posse, ipsum esse indeprecabile & inveniabile &c.*

℟. Probabilius Origenem & Theognostum peccata baptizatorum dixisse irremissibilia solum, quatenus difficilius remittuntur, ac illa, quæ committuntur ante Baptismum. Observatum siquidem est Patres præsertim antiquos, ut fideles a peccatis deterrerent, consuevisse peccata, quæ ante Baptismum committuntur, ita attenuare, ut fere nulla appareant, commissa vero post Baptismum ita extollere, ut fere dicant irremissibilia. Sane Origenem non sensisse omnia baptizatorum peccata esse irremissibilia, patet ex quo de ipsis hæc habeat: (a) *In Ecclesia non sunt omnes videntes, neque recte ambulantes, sed alii quidem sunt cæci, alii autem claudi. Qui ex eo, quod intelligunt propriam cæcitatem, & scientes quia nullius alterius opus est, nisi Christi Jesu & verbi Dei ut sanentur, ut percipiant sanitatem accedentes ad verbum Dei sanantur*: & alibi: (b) Rur-

(a) *Tract.* 15. *in Matth.*
(b) *Lib.* 3. *contr. Celsum.*

Rursus resipiscentes haud secus, quam redivivos recipiunt tandem nostri *post longiorem melioris mentis approbationem, quam cum primum ad Religionem discendam admitterentur*. Credibile autem est ita etiam sensisse Theognostum, cujus nonnisi aliqua fragmenta ad nos usque pervenerunt. Sed quoniam illorum dicta ab Athanasio allata videbantur indicare absolutam irremissibilitatem peccatorum a baptizatis admissorum, idcirco S. Athanasius eos confutat, quasi hoc vere adstruxerint, sicque illis argumentis utitur, quæ solum contra adstruentes omnimodam irremissibilitatem valere possunt. Cæterum probabile est S. Athanasium saltem suspicatum fuisse Origenem & Theognostum non de omnimoda irremissibilitate peccati locutos fuisse: inquit enim: (a) *Ego ex his, quæ didici, arbitror utriusque sententiam mediocri quadam inquisitione & observatione indigere, ne forte profundior quadam in ipsis illorum dictis mens lateat:* quamvis, ut dixi, satius putaverit illorum dicta juxta pravum sensum, quem ipsorum verba primo aspectu clara præseferebant, quam juxta sanam mentem ipsorum, de qua dubitabat, intelligere.

Quod porro spectat ad mentem S. Athanasii circa irremissibilitatem blasphemiæ in Spiritum S., dico ipsum illam non asseruisse irremissibilem absolute, sed solum difficilis remissionis; nam ibi tantum quærit quid sit ea blasphemia, non quomodo irremissibilis sit; hanc enim irremissibilitatem tantum illi tribuit, prout tribuitur in Evangelio, nihil de suo sensu circa illam addens: dictum est autem supra in Evangelio illam non tribui absolute. Rursus ipse blasphemiam in Spiritum S opponit peccatis in Christum ut hominem commissis, atque hæc dicit *facile*, *cito*, *cele-*

(a) *Ibidem paulo post.*

celeriter consequi veniam: ut autem stet oppositio sufficit, si priora difficile & non tam cito remittantur. Rursus ipse Pharisæos æqualiter ac Arianos facit reos blasphemiæ in Spiritum S; quod idem alibi (a) dixerat de Pneumatomachis. Atqui Arianorum & Pneumatomachorum non putavit irremissibile peccatum; nam Arianos ad fidem redeuntes ipse suscepit in Synodo Alexandrina anni 362., Pneumatomachos vero ipse hortatus est ad Pœnitentiam inquiens: (b) *Fortasse vel sero tandem resipiscentes ante insitum errorem abstergent ab anima sua*. Ergo &c. Tandem ipse alibi ait: (c) *Non dicit Christus*: *Qui blasphemiam protulerit, egeritque pœnitentiam, veniam non consequetur, sed qui in blasphemia perseveraverit; digna enim pœnitentia omnia solvit peccata*. Ex his patet quo sensu dixerit Athanasius blasphemiam in Spiritum S. *irremissibilem*, *indeprecabilem*, & *inveniabilem*, talem scilicet dixit, quatenus difficilius aliis peccatis veniam consequitur.

Ad V. R. Firmilianum id solum asserere, quatenus Ecclesia in remissione peccatorum procedit authoritate non propria, sed Dei; expresse enim in eadem epistola asserit potestatem dimittendi peccata Ecclesiæ fuisse concessam, cum dicat: *Potestas ergo peccatorum remittendorum Apostolis data est & Ecclesiis, quas illi a Christo missi constituerunt, & Episcopis, qui eis ordinatione vicaria successerunt*. S. autem Ambrosius (si vere ipsius est liber de lapsu Virginis, de quo aliqui dubitant) vel loquitur cohærenter ad severam disciplinam antiquæ Ecclesiæ, juxta quam Virgo lapsa debebat toto tempore vitæ pœnitentiam agere, solumque in morte obtinere absolu-

(a) *Epist. 1. ad Serapionem*.
(b) *Epist. 3. ad Serapionem*.
(c) *In fragmentis comment. in Matth. apud Benedictinos*.

ſolutionem, quam dicit dandam a ſolo Deo, ſcilicet ipſius Dei auctoritate, vel id dicit quatenus talis condonatio delicti nonniſi a Deo tuto ſperari poterat, cum Eccleſia nonniſi timide & incerte ad ipſam poſſet procedere ex timore ſcilicet, quod non præceſſiſſet ſufficiens Pœnitentia: vel tandem id dicit non ex defectu poteſtatis in Eccleſia, ſed quia juxta diſciplinam alicubi vigentem illud crimen nullo modo debebat ab Eccleſia remitti. Obſervandum ſiquidem viguiſſe antiquitus quibuſdam in locis hanc conſuetudinem, ut aliquibus delictis atrocioribus præcipue iteratis poſt publicam actam pœnitentiam, & abſolutionem obtentam denegaretur etiam in morte abſolutio, non quidem quatenus putaretur Eccleſiam non habere facultatem abſolvendi, ſed quatenus putaretur expedire, ut adhiberetur hujuſmodi ſeveritas ad ingerendum horrorem peccatorum. Ubi tamen duo adverto primo hanc conſuetudinem non fuiſſe univerſalem; nam in Eccleſiis principalioribus, & ſignanter in Romana nunquam in morte denegata eſt peccatoribus dummodo Pœnitentibus abſolutio: ſecundo etſi in morte hæc alicubi fuerit negata, non tamen tunc actum fuiſſe irreparabiliter de æterna ſalute illorum, contra quos ſic procedebatur, cum poſſent iſti per contritionem ſibi conſulere.

Assertio secunda. *Remittit Eccleſia fidelibus peccata per verum & proprium Sacramentum.*

Prob ex praxi & ſenſu Eccleſiæ; nam hæc fidelibus remittit peccata mediantibus ſignis externis, cum & requirat manifeſtationem peccatorum pro regula abſolutionis impertiendæ, vel denegandæ, & requirat manifeſtationem preſeferentem externe aliquem dolorem; nullus enim debet abſolvi niſi pœnitens: & ipſa conferat abſolutionem per ſigna externa, ideſt per verba. His autem nihil deeſt ad rationem Sacramenti, cum non poſſint non eſſe inſtituta a Chriſto, & quidem ſtabiliter, pro tempore ſcilicet, quo durabit Eccleſia, & habeant vim producendi gra-

 tiam,

tiam, qua remittuntur peccata. Praxis hujus antiquitatem ostendit quod illius nequeant Hæretici initium assignare, & quod in omnibus antiquis Ritualibus hic ritus inveniatur præscriptus. Jure ergo Tridentinum ait: (a) *Si quis dixerit in cattholica Ecclesia Pœnitentiam non esse vere & proprie Sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo roconciliandis a Christo Domino nostro institutum, anathema sit.*

Prob. ex Patribus, qui, cum in Sacerdotibus fateantur potestatem dimittendi peccata, actionem, qua hæc dimittuntur, certe ex supra visis verum Sacramentum agnoscunt. Chrysostomus inquit: (b) *Corporis lepram haud purgare quidem, sed purgatam probare Judæorum Sacerdotibus solis licebat, at vero nostris Sacerdotibus non corporis lepram, verum animæ sordes non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est.* S. Ambrosius. (c) *quid interest*, inquit, *utrum per Pœnitentiam, an per lavacrum hoc jus* (dimittendi peccata) *sibi datum Sacerdotes vindicent? unum in utroque mysterium est. Sed dicis, quia in lavacro operatur mysteriorum gratia. Quid in Pœnitentia? nonne Dei nomen operatur?* S. Augustinus comparans resuscitationem peccatoris resuscitationi Lazari inquit:(d) *Quando contemnis, mortuus jaces ..quando confiteris, procedis; quid est enim procedere, nisi ab occultis velut exeundo manifestari? sed ut confitearis, Deus facit magna voce clamando, idest magna gratia vocando. Ideo cum processisset mortuus adhuc ligatus confitens, & adhuc reus, ut solverentur peccata ejus, ministris hoc dixit Dominus: Solvite illum, & sinite abire,* qua

(a) *Sess.* 14. *Can.* 1.
(b) *Lib.* 3. *de Sacerd. cap.* 6.
(c) *Lib.* 1. *de Pœnitent. cap.* 8.
(d) *Tract.* 49. *in Jo. n.* 24.

quæ solveritis in Terra, soluta erunt & in Cœlo. Ergo &c.

Obj. ex Scripturis. Hæ docent Deum, statim ac peccator ad illum corde convertitur, ipsi remittere peccatum; dicit enim Deus: (*a*) *Derelinquat impius viam suam..., & revertatur ad Dominum, & miserebitur ejus.* Ergo vel nullum est, vel saltem frustraneum signum externum (adeoque Sacramentum), quo Ecclesia remittit peccata.

℟. Dicta promissione non excludi necessitatem Sacramenti Pœnitentiæ, tum quia, si hanc excluderet, excluderet etiam necessitatem Baptismi respectu adultorum, tum quia conversio ad Deum debet includere propositum etiam accedendi ad Sacramentum Pœnitentiæ, cum debeat includere propositum omnia ponendi, quæ Deus poni præcipit, inter quæ est etiam talis accessus. Ergo &c.

Assertio tertia. *Sacramentum Pœnitentiæ est distinctum a Sacramento Baptismi.*

Prob. ex Scripturis distinctam mentionem facientibus tum de Baptismo per illud: (*b*) *Euntes docete omnes gentes baptizantes &c.*, tum de Pœnitentia per illud: (*c*) *Quorum remiseritis peccata &c.* Ergo &c.

Prob. ex Tridentino dicente: (*d*) *Si quis Sacramenta confundens ipsum Baptismum Pœnitentiæ Sacramentum esse dixerit, quasi hæc duo Sacramenta distincta non sint, atque ideo Pœnitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari, anathema sit.*

Prob. ex Patribus distinctam utriusque Sacramenti mentionem facientibus; nam Tertullianus (*e*) Pœnitentiam vocat *secundam spem*: & S. Augusti-

(a) *Isai.* 55. (b) *Matt.* 28.
(c) *Jo.* 20. (d) *Sess.* 14. *can.* 2.
(e) *De Pœnit. cap.* 7.

gustinus diversum esse ait remedium peccatorum post Baptismum commissorum, a remedio commissorum ante Baptismum. Cum ergo istorum remedium sit Baptismus, remedium illorum, quod est Pœnitentia, erit a baptismo diversum. En ejus verba: (a) *Semel perceptam Christi gratiam parvulus non amittit nisi propria impietate, si ætatis processu tam malus evaserit. Tunc etiam propria incipit habere peccata, quæ non regeneratione auferantur, sed alia curatione sanentur*. Ergo &c.

Prob. ratione. Diversa est materia & forma, diversi effectus, diversæ proprietates Baptismi & Pœnitentiæ, cum materia primi sit aqua, forma vero illa verba: *Ego te baptizo &c.* alterius vero materia sint actus pœnitentis, forma asolutio. Effectus primi sunt regeneratio & renovatio hominis, adeoque remissio totius culpæ & pœnæ, non sic vero effectus Pœnitentiæ, quæ subinde non totam culpam & pœnam remittit. Inter proprietates Baptismi est initerabilitas, quæ non convenit Pœnitentiæ. Ergo &c. Præterea ex visis remedium pro expiatione peccatorum a fidelibus commissorum nequit esse Baptismus, cum hic talia peccata præcedat: hoc autem remedium est ex supra probatis Sacramentum Pœnitentiæ. Ergo &c.

Obj. Ex Scripturis. Hæ tribuunt remissionem omnium peccatorum Baptismo. De peccatis commissis ante Baptismum, patet ex locis ad hanc rem adductis, ubi de Baptismo: de peccatis vero post ipsum commissis patet ex Apostolo dicente: (b) *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret mundans lavacro aquæ in verbo vitæ*; hic enim Apostolus dicit Christum mundare Ecclesiam lavacro aquæ,

Igi-

(a) *Epist. 98. al. 23. n. 2.*
(b) *Ephes. 5.*

Igitur etiam peccata post Baptiſmum commiſſa, quæ sunt peccata Eccleſiæ, tolluntur Baptiſmo. Si ergo aliunde conſtat ea tolli per Pœnitentiam, dicendum idem eſſe Pœnitentiam & Baptiſmum.

℟. Omnem quidem remiſſionem peccatorum aliquo modo tribui poſſe Baptiſmo, ſed non ſemper immediate; licet enim quæ peccata Baptiſmum præcedunt per ipſum immediate remittantur, quæ tamen ſubſequuntur, nonniſi mediate remittuntur, quatenus ſcilicet remittuntur per Sacramentum Pœnitentiæ, cujus ut ſit capax homo, facit ipſe Baptiſmus. Ad quod reſpexit Auguſtinus. dum ait: (a) *Quid prodeſſet vel ante Baptiſmum Pœnitentia, niſi Baptiſmus ſequeretur, vel poſtea, niſi præcederet?*

Obj. ex ratione. Quamvis Euchariſtia ſub ſpecie panis habeat diverſam materiam & formam ab Euchariſtia ſub ſpecie vini, utraque tamen ſpecies eſt unum Sacramentum, quia eandem cauſant gratiam nutritivam animæ. Ergo a pari licet Baptiſmus & Pœnitentia diverſam habeant materiam & formam, cum tamen eandem gratiam cauſent, ideſt mundativam a peccatis, unum & idem erunt Sacramentum.

℟. Conceſſo antecedente negando conſequentiam: non enim eſt eadem gratia cauſata a Baptiſmo & Pœnitentia, cum prior ſit regenerativa, altera reconciliativa regeneratorum. Ergo &c.

Reliquum eſſet, ut hic probaretur abſolutionem ſacerdotalem eſſe actum judicialem, quo vere peccata dimittuntur, ſed de hoc ubi de abſolutione.

Videndum remanet, quando fuerit a Chriſto inſtitutum hoc Sacramentum. Docet Tridentinum (b) illud fuiſſe inſtitutum a Chriſto poſt reſurrectio-

(a) *Lib. 1. de Nupt. & Conc. cap.* 33.
(b) *Seſſ.* 14. *cap.* 2.

ctionem suam, cum in Apostolos insufflavit dicens: (a) *Accipite Spiritum S., quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*. Et sane si aliud tempus hujus institutionis assignaretur, esset cum ante resurrectionem dixit Apostolis: (b) *Amen dico vobis quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo*. Sed tunc Christus hoc Sacramentum non instituit, cum tantum potestatem absolvendi tunc Apostolis promiserit, utpote qui nondum erant Sacerdotes. Nisi dicere velimus tunc Christum Apostolis dedisse facultatem ligandi & solvendi in foro externo per censuras, ut dicunt aliqui cohærenter ad contextum, in quo agitur de correctione fraterna, & de modo agendi cum peccatore obstinato; dicitur enim: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tamquam ethnicus & publicanus*, idest veluti separatus a fidelibus & excommunicatus, & statim subditur: *Amen dico vobis &c.* Quæcumque autem ex his explicationibus admittatur, stat Christum non instituisse Sacramentum Pœnitentiæ, cum hæc verba protulit. Ergo &c.

ARTICULUS SECUNDUS.

Suas habet & hoc Sacramentum partes. At quænam sint controvertitur. Lutherus asserit partes Pœnitentiæ (quomodocumque hæc ab illo admittatur) esse terrores conscientiæ incussos ex agnitione peccati, & fidem, quod per Christum peccata remissa sint. Calvinus assignat mortificationem & vivificationem, quarum primam dicit esse abnegationem sui & spoliationem veteris hominis, secundam studium atque affectum bene vivendi.

Sed

(a) *Jo.* 20. (b) *Matth.* 18.

Sed perperam uterque; ut enim de Luthero prius dicam, terrores illi potius sunt causæ Pœnitentiæ, quam ipsius partes: præterea absque terrore potest intelligi Pœnitentia, ut si concipiatur ex solo motivo charitatis, & vicissim potest esse terror sine Pœnitentia, ut si quis persentiendo terrorem nollet de peccato cogitare. Non ergo hic terror est pars Pœnitentiæ. Fiducia autem, si importet firmam persuasionem de remissione peccatorum, est temeraria, si spem, non est Pœnitentiæ pars, sed vel antecedens, vel consequens, uno verbo est aliquid illi extrinsecum. Hinc jure Tridentinum inquit: (a) *Si quis .... dixerit duas tantum esse Pœnitentiæ partes, terrores scilicet incussos conscientiæ agnito peccato, & fidem cònceptam ex Evangelio vel absolutione, qua credit quis sibi per Christum remissa esse peccata, anathema sit*. Mortificatio porro illa & vivificatio, de quibus Calvinus, potius sunt consequentia Pœnitentiæ, quam illam constituant; Ergo &c.

Missis itaque his figmentis, nec non missis aliis sententiis minus celebribus aliquorum Catholicorum noto esse sententiam Scoti, quod tota essentia Sacramenti Pœnitentiæ in absolutione consistat, non quod actus quoque pœnitentis non admittat, sed quod hos potius faciat conditiones necessarias, quam partes. S. Thomas & alii communius censent esse materiam hujus Sacramenti actus pœnitentis, formam vero absolutionem. Cum his sit

Assertio. *Materia Sacramenti Pœnitentiæ sunt actus pœnitentis, nimirum contritio, confessio, & satisfactio, & forma est absolutio.*

Prob. ex Conciliis. Florentinum ait: (b) *Quartum Sacramentum est Pœnitentia, cujus quasi*

(a) *Sess.* 14. *Can.* 4.
(b) *In decret. pro union. Armen.*

si materia sunt actus pœnitentis, qui in tres distinguuntur partes, quarum prima est cordis contritio, ad quam pertinet, ut doleat de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero: secunda est oris confessio, ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, Sacerdoti confiteatur integraliter: tertia satisfactio pro peccato secundum arbitrium Sacerdotis: & Tridentinum: (a) *Sunt quasi materia hujus Sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempe contritio, confessio, & satisfactio, qui, quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione partes Pœnitentiæ dicuntur:* & supra dixerat: *Docet S. Synodus Sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipue ipsius vis sita est, in illis Ministri verbis positam esse: Ego te absolvo &c.* Ergo &c.

Si quæras, quare Concilia actus pœnitentis dixerint *quasi materiam*, R. id factum esse, primo ne aliter videretur res definiri contra sententiam Scoti, quam Patres voluerunt remanere in sua probabilitate, id respectu Tridentini testantibus Andrea Vega, qui Tridentino interfuit, & Pallavicino in historia ejusdem Concilii (b): secundo quia isti actus non habent rationem elementi sensibilis, ut habet materia in aliis Sacramentis.

Prob. assertio ratione. Sacramentum Pœnitentiæ institutum est per modum judicii, in quo Sacerdos remittit peccatum. Hoc ergo Sacramentum debet prius includere dolorem pœnitentis, & propositum, sine quibus homo non diceretur pœnitens: debet includere confessionem, ut Judex possit dignoscere causam ad ferendam justam sen-

ten-

(a) *Sess.* 14. *cap.* 3.
(b) *Lib.* 12. *cap.* 12.

tentiam: debet includere satisfactionem, sine qua vix intelligi potest, quod hominem pœniteat de peccato: debet tandem includere absolutionem, quæ est veluti anima, forma, & complementum judicii. Ergo &c.

Obj. ex Conciliis. Tridentinum loquitur de actibus pœnitentis, ut de aliquo distincto a Sacramento Pœnitentiæ, dicit enim (a) illos esse dispositiones ad percipiendum cum fructu hoc Sacramentum. Non ergo sunt illius partes, cum partes non distinguantur a toto. Præterea docet Sacerdotem esse Ministrum Pœnitentiæ. Ad hunc ergo spectat, non ad pœnitentem ponere materiam, consequenter &c.

℟. quod, licet actus pœnitentis sint partes Sacramenti, adhuc possunt dici dispositiones ad illius fructum; cum enim hoc non producat effectum nisi posita absolutione, quæ actus pœnitentis subsequitur, patet istos posse dici dispositiones ad percipiendum hunc fructum non producendum nisi a Sacramento jam consummato. Dici etiam posset, quod tamen fere in idem recidit, Tridentinum sumere Sacramentum inadæquate, scilicet pro forma, & merito asserere actus pœnitentis conducere ad gratiam in Sacramento, idest in absolutione percipiendam, cum quo stat, quod hi actus a Sacramento sic sumpto distinguantur, quamvis Sacramenti adæquate sumpti sint partes. Salvatur autem in Sacerdote ratio Ministri hujus Sacramenti, quia ipse ponit partem illius principaliorem, idest formam, eamque materiæ jungit. Sane in aliis judiciis, licet partem aliquam ponat reus, ut E. G. confessionem delicti, non tamen hoc impedit, ne minister judicii sit Judex, qui ponit formam, idest sententiam: ita a pari. Nec dicas in aliis Sacramentis materiam poni a Ministro: ergo etiam in

hoc

(a) *Sess.* 14. *cap.* 4.

hoc debet ponere; nam supra dictum est in iis, quæ a libera Dei voluntate pendent, non valere argumentum a pari.

Obj. ex ratione. I. si actus pœnitentis essent Sacramenti materia, jam nedum Sacerdos, sed etiam ipse pœnitens causaret gratiam, cum hæc ab omnibus simul partibus Sacramenti causetur. Hoc non. Ergo &c.

II. Actus pœnitentis non significant gratiam reconciliationis, quam significat absolutio. Essentia igitur Pœnitentiæ ab absolutione constituetur, non ab his actibus.

Ad I. ℟. non esse absurdum, quod pœnitens per positionem materiæ sacramentalis aliquo modo sibi causet gratiam se disponendo ad illam recipiendam per absolutionem Sacerdotis; ut enim inquit S. Thomas: (a) *Remissio culpæ est effectus Pœnitentiæ, principalius quidem ex virtute clavium, quas habent Ministri, ex quorum parte accipitur id, quod est formaliter in hoc Sacramento: secundario autem ex vi actuum pœnitentis pertinentium ad virtutem Pœnitentiæ, tamen prout hi actus aliqualiter ordinantur ad claves Ecclesiæ*. Ergo &c.

Ad II. ℟. actus pœnitentis sin minus per se, saltem prout conjunguntur cum absolutione, significare gratiam reconciliationis, cum significent conversionem hominis ad Deum, conversio autem hæc in reconciliatione includatur, quæ importat, ut homo cesset esse inimicus Deo, & Deus homini.

Noto tamen primo contritionem & confessionem esse quidem partes essentiales Sacramenti Pœnitentiæ, at satisfactionem tantum integralem: secundo præter istam materiam Sacramenti Penitentiæ, aliam etiam dari illius materiam, quæ tamen improprie est talis, cum non sit illius pars, ut est prior. Hæc porro materia sunt peccata, cum circa

(a) *3. p. quæst. 86. art. 6.*

ca illa versetur Sacramentum. Sed hæc materia, ut a priore distinguatur, dicitur materia *circa quam*, & etiam materia *remota*, cum prior dicatur *ex qua*, & *proxima*.

CAPUT TERTIUM,

De dolore ad Sacramentum Pœnitentiæ requisito.

EXplicabo 1. naturam istius doloris, & quæ generaliter ad illum spectant, prout requiritur ad Sacramentum Pœnitentiæ: 2. specialiter agam de dolore contritionis sive perfecto: 3. de dolore imperfecto sive attritionis: 4. examinabo, utrum ex parte doloris possit dari Sacramentum Pœnitentiæ validum & informe.

ARTICULUS PRIMUS.

Dolor ad Pœnitentiam requisitus dicitur a Tridentino (*a*) *Contritio*, & hæc ab ipso definitur: *Animi dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero*. Dicitur *dolor* ac *detestatio*, quæ duo inter se differunt: dolor enim est quædam, ut sic dicam, inquietudo, seu tristitia mentis, quæ anxiatur ob commissionem peccati; detestatio vero est odium, & retractatio peccati commissi, & actus, quo quis vellet, si fieri posset, non commisisse peccatum. Potest autem unus ex his actibus esse sine alio, & de facto Beati detestantur peccata, quæ adhuc viatores commiserunt, sed de iis non dolent, cum dolor repugnet illorum beatitudini: e contra de iis dolent damnati, sed ea absolute non detestantur, cum ob voluntatem fixam in malo, & odium, quo Deum prosequuntur, aliquo modo ament peccatum pa-

tra-

(a) *Sess.* 14. *cap.* 4.

tratum utpote injuriosum Deo. In viatoribus unus ex his actibus alterum veluti naturaliter sequitur, & uterque ad Sacramentum Pœnitentiæ requiritur.

Hic dolor (quem semper imposterum supponam conjunctum cum detestatione) pro Sacramento Pœnitentiæ debet esse formalis, quin sufficiat virtualis inclusus vel in amore Dei, vel in proposito non amplius peccandi, vel alio simili actu, cum Tridentinum expresse exigat dolorem, quod de dolore formali est intelligendum. Debet pariter secum habere propositum non peccandi de cætero, alias nugatorius esset, cum sincere ille non doleat se peccasse, qui non statuit peccatum imposterum evitare.

Est probabile, quod non sit necessarium, ut propositum sit formale, sed sufficiat virtuale inclusum in dolore universali, cum Tridentinum dicat tres esse actus pœnitentis constituentes materiam hujus Sacramenti, nimirum contritionem, confessionem, & satisfactionem, ubi in contritione supponitur inclusum propositum, alias, cum certum sit hoc requiri, si requireretur formale, non tres sed quatuor essent actus pœnitentis. (Dixi *sufficere propositum virtuale in dolore universali inclusum*; si enim dolor procederet ex motivo particulari, & sermo esset de mortali, tunc in dolore non includeretur nisi propositum particulare in casu non sufficiens) Cæterum cum Tridentinum distincte commemoret tam dolorem, quam propositum, hinc probabilius videtur, & in praxi sequendum, quod propositum formale requiratur.

Hoc propositum debet esse efficax, idest non simplex velleitas non amplius peccandi, sed actus voluntatis absolutus, quo statuat non amplius peccare. Debet pariter respectu mortalium esse universale, scilicet omnia mortalia respiciens ad differentiam doloris, qui solum respicit commissa. Colligitur hoc ex Tridentino, quod loquens de dolore dicit illum debere esse *de peccato commisso*,

lo-

loquens vero de proposito dicit illud esse debere *non peccandi de cetero*. Ex quo etiam patet propositum debere extendi ad occasiones proximas peccati gravis, cum illas non amovere grave sit.

Quæ hucusque sunt dicta, generaliter valent de dolore pro lethalibus. De dolore autem pro venialibus hæc sunt addenda.

Docuerunt aliqui non requiri formalem dolorem pro confessione venialium, sed sufficere aliqualem displicentiam, etsi hæc voluntatem peccandi non excludat: imo aliqui voluerunt etiam sufficere voluntatem suscipiendi Sacramentum, & obtinendi venialium remissionem. Horum ratio est, quia si verus dolor ad confessionem venialium requireretur, hæc nunquam per absolutionem remitterentur, cum semper per illum dolorem supponerentur remissa. Sed dolorem formalem requiquiri probatur, ex quo materia Sacramenti sunt actus pænitentis, inter quos est dolor, qui proinde essentialis Sacramento est. Nec subsistit Adversariorum ratio; nam adhuc admissa sententia nostra verificatur per absolutionem remitti venialia, vel quia non omnia venialia per quemcumque dolorem tolluntur extra Sacramentum, sed solum minora, ut etiam supra attigi; vel quia accedens solum attritus ad Sacramentum cum mortalibus & venialibus non obtinet venialium remissionem nisi mediante Sacramento, cum hanc non obtineat nisi conjunctam cum remissione mortalium, quam nonnisi per Sacramentum obtinet; vel quia juxta alios accedens ad Sacramentum cum dolore de aliquibus tantum venialibus, & cum voluntate recipiendi per Sacramentum aliorum etiam remissionem hanc quoque obtinet. Quod si aliquando absolutio supponit dimissa venialia, nil mirum; nam hoc quoque aliquando contingit respectu mortalium.

Cum quis se accusat de venialibus, non tenetur dolere de omnibus, de quibus se accusat; nam eo ipso, quod de aliquibus dolet, habetur quidquid requiritur & ad validitatem & ad fru-

ctum

ctum Sacramenti. Nec dicas pœnitentem in casu supponere absolutioni materiam non absolvibilem, nempe peccatum non retractatum, unde peccat, ut peccaret qui supponeret consecrationi materiam ineptam; nam ℟. hunc utique peccaturum, quia nullum adest motivum sic supponendi: at in primo casu plura possunt esse motiva confitendi venialia etiam non retractata, nimirum ex humilitate ad obtinendam instructionem a Confessario, vel etiam fortasse remissionem de iis, dummodo actualis ad eadem affectus non habeatur. Alia est etiam inter utrumque casum disparitas, quod nempe forma consecratoria per se primario respicit materiam, unde cum falsificetur saltem partialiter, si materia apposita non sit tota consecrabilis, consequenter in tali appositione peccatur. At forma absolutoria per se & primario respicit personam pænitentis, & effectum gratiæ remissivæ peccati, quæ persona cum in casu sit capax absolutionis atque gratiæ, consequenter non illicite absolvitur.

Propositum circa venialia in hoc differt a proposito circa mortalia, quod hoc debet extendi ad omnia mortalia tum collective, tum distributive, illud vero nec potest extendi ad omnia venialia collective, cum sine extraordinario auxilio omnia, ut alibi dixi, non possint vitari: nec debet necessario extendi ad omnia venialia distributive sumpta, cum sufficiat, ut se extendat ad illa, quæ pænitens confitetur, vel etiam ut pænitens proponat adhibere imposterum majorem circa vitationem venialium diligentiam. Rursus propositum circa venialia non debet necessario extendi etiam ad omnes occasiones proximas illorum.

Quamvis per quodcumque lethale retractetur dolor antecedens de lethalibus, non tamen per quodcumque veniale universaliter retractatur dolor antea habitus vel de mortalibus vel de venialibus, quod colligitur tum ex praxi Confessariorum communiter putantium dispositum ad Sacramentum illum, qui post dolorem universalem de

pec-

peccatis suis incidit in aliquod veniale: tum ex quo, licet dolor sit universalis, non tamen æque omnia peccata afficit, sed magis majora, minus minora, unde non quicumque actus, qui est contrarius dolori prout fertur in peccata minora, est etiam contrarius, prout fertur in majora, consequenter veniale, quod est contrarium dolori, prout fertur in venialia similia, non est contrarium dolori, prout fertur vel in venialia graviora, vel in lethalia. Ergo &c. Ad majorem tamen securitatem renovandus erit in casu dolor.

Explicata jam natura doloris videndum, quomodo debeat referri ad Sacramentum Pænitentiæ.

In primis itaque probabilius non requiritur, ut hic dolor præcedat Confessionem, quod suadet praxis Confessariorum, qui solent audita Confessione excitare pænitentem ad dolorem. Nec dicas debere dolorem præire Confessioni, ut sensibilis per illam reddatur; nam, ut inquit Lugo, dolor potest indicari etiam per Confessionem præteritam, quatenus, cum hæc ordinetur ad absolutionem, indicat dolorem necessarium vel fuisse, vel saltem futurum esse ante absolutionem, & præterea dolor potest reddi sensibilis per alia quoque media præter Confessionem, puta per tunsionem pectoris, per hoc, quod peccator dicat se dolere, per hoc, quod petat absolutionem &c. Debet tamen dolor præcedere absolutionem, cum hæc non possit cadere nisi in peccata retractata: imo consulendum est in praxi, ut etiam præcedat Confessionem, tum ne pænitens se exponat periculo accipiendi absolutionem absque dolore ob angustiam temporis, quod intercedit inter Confessionem & absolutionem, tum etiam quia, cum sententia contraria sit probabilis, ipsa utpote tutior in Sacramento practice tenenda est. Videtur tamen sufficere, ut, si quis post Confessionem elicuit dolorem, dicat in genere. *Iterum me accuso de peccatis antea manifestatis*.

Probabilius speculative loquendo non est necesse, ut dolor eliciatur ex intentione suscipiendi

Sacramentum; nam si quis E. G. audiendo concionem excitetur ad dolorem, & deinde ex ipso dolore moveatur ad Confessionem, censetur dispositus, licet dolor tunc non oriatur ab intentione Confessionis, sed potius e contra. Debet tamen dolor, saltem postquam elicitus est, ordinari ad absolutionem, ut moraliter cum illa conjungatur. Talis porro debet esse conjunctio doloris cum Confessione, ut moraliter unum ab altero dependere dici possit. Si quis ergo heri E. G. elicuit, nec postea retractavit dolorem, & deinde solum mane sequenti confiteatur, ex quo tunc solum habuit copiam Confessarii, hic videtur recte confiteri, quia moraliter Confessio est cum dolore conjuncta. Aliqui etiam id extendunt ad tempus longius, sed in his standum est judicio prudentum, quorum est definire, an spectatis omnibus dici possit dolor moraliter cum Confessione conjunctus. Circa quod attendendum est etiam, utrum tempore intermedio adfuerit commoditas confitendi, nec ne; nam si hæc fuit, nec tamen habita est Confessio, difficilius stabit hæc moralis conjunctio.

Ad singulas porro Confessiones novus requiritur dolor, quia cum multiplicatur forma, debet etiam multiplicari materia. Quod tamen intellige, si una Confessio non sit alterius complementum; tunc enim novus dolor non requiritur, cum virtualiter existat antecedens: & ita si quis brevi post obtentam absolutionem recordetur alicujus mortalis obliti, & statim redeat ad Confessarium, poterit absolvi etiam non renovato dolore, & ita fert praxis Confessariorum. Dixi *si brevi recordetur*, si enim post notabile tempus recordaretur, & tunc istud confiteretur, vix posset dici existere antecedentem dolorem, sicque hic esset repetendus.

De doloris modo speciebus agendum est. Hic ergo dividitur in *perfectum*, & *imperfectum*: primus, qui etiam simpliciter & veluti antonomastice dicitur *contritio*, est dolor de peccatis conceptus eo, quod sunt offensa Dei per se dilecti, seu

ex

ex motivo charitatis perfectæ: secundus, qui etiam dicitur *attritio*, est dolor de peccato conceptus vel ex consideratione turpitudinis ejusdem peccati, vel ex gehennæ & pænarum metu. Prior talis dicitur a conterendo; ut enim quæ conteruntur, in minutissimas partes scinduntur, ita cor per illum veluti scinditur; sicuti alter dicitur ab atterendo, quod idem est, ac *terere ad alterum*, sive *confricare ac leviter imminuere*, adeoque significat alterationem quandam minorem tamen illa, quæ fit contritione, quia hic dolor & ipse cor cruciat & discindit, quamvis non ita, ut dolor perfectus. De singulis his doloris speciebus acturus exordior a perfecto. Sit itaque.

ARTICULUS SECUNDUS.

Contritio ergo sive dolor perfectus includit charitatem perfectam sive amorem amicitiæ erga Deum, cum sit odium peccati, quatenus est offensa Dei per se super omnia dilecti. Ex hoc sequitur, quod etiam antecedenter ad Sacramentum actu susceptum justificet. Sane hoc aperte eruitur ex Scripturis; nam Deus ait (*a*): *Ego diligentes me diligo* (*b*): *Qui diligit me, diligetur a Patre meo* (*c*): *Omnis, qui diligit, ex Deo natus est.* Id etiam docent Patres; nam Augustinus ait (*d*): *Quam* (charitatem) *cum habere cœperit homo, Spiritum S. habebit*: rursus (*e*): *In hac charitate . . . . potestas illa intelligitur, de qua idem ipse in Evangelio suo dedit eis potestatem filios Dei fieri*. Accedit Tridentinum hoc ipsum innuens, dum ait (*f*): *Etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque*

D 2 *Deo*

(a) *Prov.* 8: (b) *Jo.* 14.
(c) 1. *Jo.* 4. (d) *Tract.* 9. *in Jo. n.* 8.
(e) *Lib.* 3. *op. imp. contr. Jul. cap.* 106.
(f) *Sess.* 14. *cap.* 4.

Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum (Pænitentiæ) *actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendum*. Accedit tandem damnatio harum Bajanarum propositionum: *Charitas* (a) *perfecta & sincera, quæ est ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, tam in Cathecumenis, quam in pœnitentibus potest esse sine remissione peccatorum*: & (b): *Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum*: & (c): *Per contritionem etiam cum charitate perfecta, & voto suscipiendi Sacramentum conjunctam non remittitur crimen extra casum necessitatis aut martyrii sine actuali susceptione Sacramenti*.

Virtutem hanc justificandi ita aliqui tribuunt contritioni perfectæ, ut hæc sit etiam forma justificans, quomodo est habitus gratiæ sanctificantis, quod idem ex paritate rationis dicunt de actu charitatis perfectæ. Ita cum aliquibus aliis videtur docuisse Vasquez. Quamvis tamen communiter doceant Theologi actum contritionis esse proximam dispositionem ad justificationem, eamque de congruo mereri, negant tamen communius ipsam esse formam justificantem. Cum communiori ergo assertionem ponam, in qua ob connexionem materiæ loquar etiam de actu charitatis perfectæ. Sit ergo.

Assertio. *Actus contritionis perfectæ aut dilectionis Dei non justificat formaliter*.

Prob. ex Scripturis, quæ contritionem aut dilectionem Dei assignant potius ut dispositionem ad justificationem, quam ut causam formalem, ut patet ex illo: (d) *Convertimini filii revertentes, & sanabo aversiones vestras*: & ex illo: (e) *Pœni-*

(a) 31. (b) 32. (c) 71. (d) *Jerem.* 3.
(e) *Act.* 3.

Pœnitemini & convertimini, ut deleantur peccata vestra. Ergo &c.

Prob. ex Tridentino dicente (a) unicam esse formalem causam nostræ justificationis, nempe gratiam. Ergo non actus contritionis vel charitatis. Rursus Concilium explicans, (b) quomodo fiat justificatio, semper assignat tanquam illius causam formalem aliquid habituale. Ergo non actum. Rursus docet (c) contritionem semper fuisse ad impetrandam peccatorum remissionem necessariam. Ergo contritio est dispositio ad justificationem, non illius causa formalis.

Prob ratione. Non potest aliquid justificare, nisi hoc habeat vel ex propria natura, vel ex ordinatione divina. Neutrum verificatur in casu; nam ex propria natura actus contritionis vel charitatis est quidem talis, ut per eum creatura amet Deum, sed non ideo necessario Deus debet illi condonare peccatum, vel donare amicitiam suam. De ordinatione divina non constat. Ergo &c.

Obj. ex ratione. I. Actus dilectionis Dei est incompossibilis cum mortali; includit enim conversionem ad Deum, quæ est incompossibilis cum aversione a Deo inclusa in mortali. Ergo formaliter justificat.

II. Actus charitatis est nobilior habitu. Ergo si hic, ut dictum est in tractatu de gratia, justificat formaliter, a fortiori ille justificabit.

℟. Ad I. actum dilectionis Dei esse quidem ex se incompossibilem cum mortali actuali, sed non cum habituali, nisi stante lege Dei infallibiliter illum acceptantis ut ultimam dispositionem ad justificationem, adeoque infallibiliter justificantis illum elicientem. Quod autem per se conversio ad Deum, quæ est in actu charitatis vel contritionis, non sit incompossibilis cum mortali habituali, patet ex dictis; nam potest absolu-

 te

(a) *Sess. 6. cap. 7.* (b) *Ibidem.*
(c) *Sess. 14. Cap. 4.*

te stare, quod homo diligat Deum, & quod Deus nolit cedere juri, quod habet odio habendi ipsum peccatorem ob peccatum præteritum, quo casu, ut patet, habebitur peccatum habituale & actus charitatis. Ergo &c.

Ad II. ℟. primo negando antecedens; vel enim major hæc nobilitas repetitur ex quo in humanis communiter actus pluris æstimatur, quam habitus, vel ex quo actus est finis, habitus medium, quod ad actum tanquam ad finem dirigitur. At ex neutro capite potest in casu deduci major hæc nobilitas; non enim ex primo, cum omisso, quod in humanis actus sint nobiliores habitibus, ideo tantum sint, quia isti præcontinentur in illis tanquam in causis, a quibus producuntur, secus vero habitus supernaturales, qui producuntur antecedenter ad actus. Non ex secundo; nam licet concederetur finem adæquate sumptum esse nobiliorem mediis, sicque collectionem singulorum actuum amoris esse perfectiorem habitu charitatis, non tamen ideo finis inadæquate sumptus esset perfectior mediis, sicque singuli actus amoris nobiliores essent habitu charitatis: Etiam arbor ordinatur ut medium ad fructus producendos, quis tamen dicet nobiliores esse arbore singulos fructus? Charitas igitur habitualis nobilior erit singulis actibus, tum quia ipsa est aliquid permanens, actus vero sunt aliquid transiens, tum quia ipsa est veluti radix nedum omnium amorum viæ, sed etiam nobilissimi amoris, qui habebitur in patria. ℟. Secundo etiam omisso, quod singuli actus charitatis nobiliores essent habitu, quatenus est habitus charitatis, ipsum tamen habitum non justificare formaliter, quatenus est charitas, sed quatenus est gratia, sub quo respectu est nobilior actibus ob participationem, quam includit divinæ naturæ.

AR-

ARTICULUS TERTIUS.

De dolore imperfecto seu attritione hic acturus noto in primis Bajum, Jansenium, & Quesnellum docuisse necessarium esse ad non peccandum, ut omnis actio ex charitate procedat, consequenter timorem pœnæ etsi supernaturaliter cognitæ E. G. Inferni, & actiones factas ex tali timore peccata reputasse. Huic errori jam præluserat Lutherus. Ut igitur recta methodo procedatur, ante omnia hic error est confutandus. Sit ergo

Assertio prima. *Timor pœnarum, quas ex lumine supernaturali cognoscimus a Deo vindice peccatis infligi, est bonus motus & supernaturalis, adeoque dolor de peccatis ex tali timore conceptus est bonus motus & supernaturalis.*

Antequam probetur assertio, noto hic non esse sermonem de timore filiali, quo scilicet homo fugit culpam præcise, quatenus est offensa Patris Dei; hic enim timor, cum vel procedat a charitate, vel saltem maximam cum illa affinitatem habeat, absque controversia est bonus. Est itaque sermo de timore servili, quo scilicet quis fugit culpam ob metum pœnæ, & quidem non de timore serviliter servili, quo quis ita fugit culpam ob pœnam, ut actu velit peccare in hypothesi, quod non adesset pœna; hic enim timor utpote involvens affectum ad peccatum est malus, sed de timore servili quidem, non autem serviliter, quo scilicet quis fugit quidem culpam ob pœnam, sed non ita, ut vellet peccare in hypothesi, quod pœna non adesset.

Prob. itaque assertio ex Scripturis hunc timorem incutientibus; sic dicitur: (a) *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habi-*

(a) *Isai.* 33.

habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? & Christus ait: (*a*) *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur:* & infra: (*b*) *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed potius timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam:* tandem: (*c*) *Si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis*. Ergo &c.

Prob. ex sensu Ecclesiæ. Tridentinum ait: (*d*) *Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccato abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere, anathema sit*: & Alexander VIII. proscripsit has propositiones: (*e*) *Timor gehennæ non est supernaturalis*: &: (*f*) *Attritio, quæ gehennæ & pœnarum metu concipitur sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus ac supernaturalis*.

Prob. ex Patribus. Clemens Alexandrinus, *Justitia*, inquit, (*g*), *est duplex, una quidem propter charitatem, alia vero propter metum... jam vero abstinentiam a malis operatur is, qui timet*. S. Cyprianus: (*h*) *Deus quantum pietate Patris indulgens semper & bonus est, tantum judicis majestate timendus est*. S. Augustinus: (*i*) *Fac vel timore pœnæ, si nondum potes amore justitiæ*: & alibi: (*l*) *Timet, ne mittatur in gehennam: bonus est ac utilis iste timor*.

Prob. ratione. Timor hic est ordinatus tum ratione objecti; timetur enim quod timeri meretur, tum ratione effectus; inducit enim ad evitan-

(a) *Matt.* 7. (b) *Matt.* 10.
(c) *Luc.* 13. (d) *Sess.* 6. *Can.* 8.
(e) 14. (f) 15. (g) *Lib.* 7. *Strom.*
(h) *Tract. de lapsis*. (i) *Serm.* 13. *de verb. Apost. nunc* 156. *cap.* 13.
(l) *In Psal.* 127. *n.* 8.

tandum peccatum, illudque detestandum, postquam commissum est, nec ulla, ut patebit solutione objectionum, prava circumstantia vitiatur. Ergo est bonus. Rursus, ut hic supponitur, dependet ab auxilio supernaturali. Ergo supernaturalis est. Bonus ergo est & supernaturalis, consequenter bona & supernaturalis attritio ex illa concepta.

Obj. ex Scripturis. Timor opponitur charitati, & ab ea expellitur juxta illud: (a) *Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem*. Ergo &c.

℟. Distinguendo antecedens: timor serviliter servilis, conceditur: simpliciter servilis, subdistinguitur: opponitur charitati, & ab ea expellitur, ut minus perfectum opponitur perfectiori, & ab eo expellitur, concedo, secus nego. Distinctionis sensus per se patet.

Obj. ex Augustino. I. Hic asserit aversionem a peccato ex timore ortam esse peccaminosam; inquit enim: (b) *In ipsa intus voluntate peccat, qui non voluntate, sed timore non peccat*: & alibi: (c) *Ille timor, ne in ignem mittaris cum diabolo, nondum est castus; non enim venit ex amore Dei.*

II. Asserit esse vitiosum, quidquid ex charitate non procedit; inquit enim: (d) *Quidquid se putaverit homo facere bene, si fiat sine charitate, nullo modo fit bene*. Reprobat ergo timorem servilem, qui ex charitate non procedit. Ergo &c.

Ad I. ℟. Augustinum primo loco agere de timore serviliter servili: secundo loco timorem illum dicere non castum, quia nomine timoris casti ipse intelligit timorem amittendi bonum, & consequenter dicit non castum timorem incurren-

(a) 1. *Jo. cap.* 4.
(b) *Lib.* 1. *ad Bonif. cap.* 9.
(c) *Tract.* 9. *in ep. Joan. n.* 5.
(d) *De gra. & lib. arb. cap.* 18.

rendi malum, quem tamen timorem supra dicit utilem esse. Hæc omnia patebunt afferendo integrum Augustini textum: *Sunt homines*, inquit *qui propterea timent Deum, ne mittantur in gehennam, ne forte ardeant cum diabolo in igne æterno. Ipse est timor ille, qui introducit charitatem, sed sic venit ut exeat; si enim adhuc propter pœnas times Deum, nondum amas, quem sic times. Non bona desideras, sed mala caves. Sed ex eo, quod mala caves, corrigis te, & incipis bona desiderare. Cum bona desiderare cœperis, erit in te timor castus. Quid est timor castus? ne amittas ipsa bona . . . . Ille timor ne in ignem &c.*

Ad II. ℞. quod, si dictum Augustini explicare velimus de charitate habituali, sensus erit, quod fit sine illa, non fieri bene bonitate se tenente penes subjectum operans, quod supponitur constitutum in peccato, adeoque malum: si vero explicare velimus de charitate actuali, sensus erit, quod fit sine illa, non fieri bene, quia caret majori perfectione, quam haberet, si fieret ex illa.

Obj. ex ratione. I. Attritio ex metu concepta est injuriosa Deo; nam cum peccatum sit malum & Deo, & peccatori, hic de prima ratione non curat solum curando de secunda, unde æquivalenter dicit: si peccatum non esset mihi malum, illud non detestaret, quod profecto Deo est injurosum. Et sane quæ fiunt ex metu, secundum quid sunt involuntaria, adeoque secluso metu non fierent; & ita mercator E. G. projiciens merces ob metum naufragii, illas non projiceret secluso metu. Ergo &c.

II In detestatione peccati ex metu gehennæ duo actus contrarii includuntur, unus, quo dicitur: *vellem potius subire gehennam, quam peccare*, cum hæc dispositio sit necessaria ad vitandam gehennam, ex cujus timore homo movetur ad detestandum peccatum: alius, quo dicit: *vellem potius peccare, quam subire gehennam*, cum

sic

ic detestans magis odio habeat gehennam, quam peccatum juxta illud: *Propter quod unumquodque tale, & illud magis;* unde potius eligeret, peccatum, quam gehennam. Ergo &c.

III. Talis attritio fundatur in amore proprio & præterea est mere naturalis, cum naturale sit homini dolere de eo, quod sibi malum agnoscit. Ergo &c.

Ad I. ℟. peccatorem in casu considerare quidem peccatum ut malum suum, non ut malum Dei, sed non ideo Deum contemnere, quia præscindit a peccato ut malo respectu Dei, nec excludit detestationem illius, quæ haberetur, si consideraretur peccatum ut malum Dei: in qua quidem præcisione nullum est absurdum, sicuti, licet Deus sit amabilis propter se & propter beneficia, quæ impertitur, non fit ipsi injuria ab eo, qui præsciendens a bonitate ipsius intrinseca considerat beneficia ab eo accepta, & ob hæc Deum amat. Ut autem ita amans Deum non dicit: *nollem amare, nisi mihi impertiretur beneficia*, ita detestans peccatum ob metum gehennæ non dicit: *non detestarer, si non adesset gehenna*. Adde hoc ipsum, quod peccator non detestaretur peccatum, si non adesset gehenna, dupliciter intelligi posse: primo ut Deus prævideat peccatorem in hypothesi non detestaturum peccatum, absque quo peccator de tali hypothesi cogitet: secundo ut peccator eliciat hunc actum: *non detestarer peccatum, nisi adesset gehenna*. Si primum, nulla tunc fit injuria Deo, qui non imputat ad peccatum actum pravum, quem prævidet futurum solum conditionate: si secundum, subdistinguendum: vel actus peccatoris est actus intellectus hoc prævidentis, vel voluntatis, quo renuit quærere in hypothesi alia motiva ad detestandum peccatum. Si primum, nec tunc fit injuria Deo, ut non fit ab eo, qui conscius propriæ infirmitatis simpliciter prævidet se casurum in hypothesi alicujus tentationis; nam tunc nulla habetur pravitas voluntatis. Ad summum ergo

 erit

erit peccaminosus actus voluntatis, quo quis nollet detestari peccata, nisi adesset gehenna. Cum autem hic actus in detestatione peccati, quam modo defendimus, non includatur; sic enim detestans debet hic & nunc peccatum detestari præscindendo ab eo, quod faceret in alia hypothesi; ideo semper verificatur, quod peccator hic & nunc peccatum detestetur, adeoque &c.

Ex dictis patet responsio ad id, quod subditur. Adde ex alias dictis non esse universaliter verum, quod facta ex metu sint secundum quid involuntaria; solum enim id valet, cum nullum adest motivum operandi, nisi metus. Cæterum aliquid potest fieri ex metu, quod etiam sine illo fieret, si nempe tunc adsint alia motiva. Sumus in casu; nam si non adesset motivum gehennæ, essent adhuc alia motiva, ob quæ peccator de peccatis doleret. Ergo &c. Et sane detestatio peccati ex metu gehennæ ita debet excludere peccatum, ut excludat etiam voluntatem peccandi; nam ita detestans peccatum vult se constituere in statu, in quo declinet gehennam. Ad hoc autem debet excludere omnem affectum ad peccatum, cum hic affectus sit inductivus gehennæ, contra ac accidat respectu pœnarum, quas infligit justitia humana; metus enim istarum determinat quidem ad non exercendam actionem, quæ per illas punitur, sed non ad excludendum illius desiderium, cum hoc non sit inductivum pœnæ, ut est actio desiderata. Ergo &c. Ex his autem patet disparitas inter exemplum adductum, & casum assertionis; primo enim Mercator nullum habet motivum projiciendi merces nisi timorem naufragii, e contra peccator habet alia motiva detestandi peccatum præter timorem: secundo ad vitandum naufragium non requiritur, ut Mercator deponat affectum ad merces; sufficit enim, si illas projiciat: ut autem peccator vitet infernum, debet & peccatum & affectum ad illud deponere. Ergo &c.

Ad II. ℟. falsum esse, quod detestans peccatum in casu debeat necessario elicere dictos actus; ab illis enim comparationibus præscindit qui sic atteritur, & unice hic & nunc considerando peccatum ut inductivum gehennæ absolute nollet se peccasse. Quod si occurreret hypothesis talis comparationis, tunc utique deberet homo potius eligere gehennam, quam peccatum, at non ex motivo gehennæ, sed ex alio motivo, quod tunc deberet menti repræsentari. Hoc autem casu non sufficeret utique attritio ex metu gehennæ ad detestandum peccatum, sed cum hic casus esset extraordinarius, semper staret, quod regulariter sufficeret: quomodo licet in aliquo casu extraordinario, ut si E. G. Deus revelasset se nolle Petrum salvare, hic sane non posset ipsum Deum amare ut futurum glorificatorem, hoc non impedit, ne regulariter ita Deus possit & debeat amari. Ergo &c.

Ad III. ℟. attritionem fundari quidem in amore proprio, sed ordinato, nec esse mere naturalem, cum fundetur in motivo per fidem tantum cognito, & operante ex impulsu Spiritus S. Ergo &c.

His statutis circa honestatem & supernaturalitatem attritionis videndum, utrum sufficiat in Sacramento Pœnitentiæ ad obtinendam peccatorum remissionem.

Celebris est apud Theologos controversia circa hanc sufficientiam plerisque illam negantibus, adstruentibus item plerisque. Tres itaque sunt in hac re celebriores sententiæ. Putant alii requiri in Sacramento Pœnitentiæ dolorem, qui procedat ex charitate perfecta, sive dolorem veræ contritionis, & hi consequenter attritionem solam dicunt insufficientem. Ita plures antiqui præsertim ante Tridentinum. Alii volunt sufficere attritionem, quæ tamen habeat adnexum amorem aliquem initialem, scilicet qui sit formaliter amor Dei propter se, sed tamen non sufficiat ad justificationem extra Sacramentum, vel quia non

sit

sit super omnia, ut sentiunt aliqui, vel quia non pertingat ad illum intensionis gradum, qui necessarius est, ut amor hic extra Sacramentum sit justificativus, ut communius contendunt Auctores hujus sententiæ. Alii tandem contendunt sufficere solam attritionem absque ullo formali amore ne initiali quidem charitatis, dummodo tamen adsit amor spei necessario imbibitus in spe, quam debet habere peccator de sua justificatione (si enim sperat, quod Deus illi ignoscet, jam amat Deum ut sibi bonum). Dixi *absque ullo formali amore &c.*; nam & isti exigunt initium charitatis consistens in proposito exercendi tempore opportuno actus charitatis, sed hoc initium, ut patet, non est amor formalis.

Ut duarum posteriorum sententiarum (de priore enim non est, cur hic verba faciam, cum jam antiquata sit, & fere nullus modo inveniatur, qui eam propugnet) ratio aperiatur, præmittendum est nihil circa controversum punctum de necessitate scilicet amoris initialis formalis charitatis fuisse hactenus ab Ecclesia expresse definitum. Sane nec definitum fuit ante Tridentinum, nec in ipso Tridentino, nec post ipsum. Primum patet ex quo tempore ipsius Tridentini Theologi divisi erant circa hoc, aliis stantibus pro priore, aliis pro posteriore sententia. Secundum patet ex quo ita fuerunt divisi Theologi, qui interfuerunt Concilio, & alii subsequentes eandem divisionem continuarunt. Præterea narrat Pallavicinus (a) hanc prius fuisse in Concilio circa attritionem propositam doctrinam statuendam, videlidet: *Attritionem solum concipi aut ex turpitudinis peccati consideratione, aut ex timore gehennæ & pœnarum, qui timor servilis dicitur:* deinde addebantur hæc verba: *Statuit*

(a) *Lib.* 12. *Hist. Trid. cap.* 10.

tuit sancta Synodus non solum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem; verum etiam sufficere ad Sacramenti hujus constitutionem... cum sine aliquo dilectionis in Deum motu vix esse queat. Sed postea monentibus aliquibus falso dici hunc dolorem vix concipi posse sine amore, & varias esse Doctorum sententias circa sufficientiam attritionis in Sacramento, mutatam fuisse locutionem, & ita expressam hanc doctrinam: (a) *Quamvis attritio sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit*: expunctum vero fuisse illud: *cum sine aliquo dilectionis in Deum &c.* Hoc autem ideo factum est, quia, ut narrat idem Pallavicinus, (b) Concilium noluit præjudicium inferre sententiis Catholicorum, cum directe tantum vellet damnare Hæreticos contendentes timorem pœnarum esse malum. Tertium constat tum ex decreto Alexandri VII., (c) quo prohibuit, *ne quis audeat alicujus Theologicæ Censuræ alteriusve injuriæ aut contumeliæ nota taxare alteram sententiam sive negantem necessitatem aliqualis dilectionis Dei in attritione ex metu gehennæ concepta, quæ hodie inter Scholasticos communior videtur, sive asserentem dictæ dilectionis necessitatem, donec a Sancta Sede fuerit aliquid hac in re definitum*. Ubi supponitur tempore Alexandri VII. nihil fuisse circa hoc definitum: tum ex instructione exarata in Concilio Romano sub Benedicto XIII. ubi hæc Italico sermone exarata habentur. *Il dolor imperfetto, o sia l'attrizione è un dolor d'aver peccato, il qual dolore comunemente si concepisce o per paura dell' Inferno, o della perdita del Paradiso, o per la brut-*

(a) *Sess.* 14. *cap.* 4.
(b) *Ibid.* (c) *Ann.* 1667.

bruttezza di esso peccato: & postea ad petitionem, quinam ex duobus doloribus videlicet contritionis & attritionis necessarius sit pro confessione, respondetur: *Il sentimento oggi comune è, che il dolore, o contrizione perfetta è buona, ma non necessaria per la confessione bastando il dolor imperfetto, cioè l' attrizione o pura già spiegata di sopra, o al più quella, che è congiunta con qualche principio d' amor benevolo verso Dio, il che rimane finora indeciso dalla Santa Sede*. Tum tandem ex Benedicto XIV., qui de quæstione hac loquens: (a) *Cum itaque versemur in quæstione ab Ecclesia hactenus non definita, jure ac merito Alexander VII. die 5. Maii 1667. &c.* (& hic exponit decretum supra allegatum ejusdem Alexandri); tum prosequitur: *Caveant proinde Episcopi, ne in suis Synodis aut in instructione Sacerdotum, quam Synodis quandoque attexunt, aliquid decernant aut de attritionis servilis ad Sacramentum Pœnitentiæ sufficientia, aut de amoris saltem initialis necessitate. Adhuc quippe sub judice lis est, adhuc impune pro una & altera sententia dimicatur.*

Dixi nihil fuisse hactenus circa punctum hoc *expresse definitum*; propriæ enim parti favere sensum Ecclesiæ contendunt utriusque sententiæ Auctores, ut infra videbitur.

Cum ergo nihil hactenus fuerit circa hoc ab Ecclesia definitum, locus relinquitur quæstioni in scholis Catholicis, quæ quidem quæstio magno animorum æstu nostris maxime temporibus agitatur. Ita autem validæ utrinque videntur esse rationes, validæ quoque contra utramque difficultates, ut quæstio hæc ex difficilioribus una totius Theologiæ merito dici possit. Ipse, ut in aliis similibus feci, contentus ero adducere utrinsque

(a) *De Synod. Diœces. lib. 7. cap. 13. n. 9.*

que partis momenta saltem principaliora sapientiorum relinquendo judicio rei definitionem.

Qui ergo stant pro prima sententia, nimirum statuente necessitatem amoris initialis, primo argumentantur ex Scripturis; Scripturæ enim, inquiunt ipsi, docent sine charitate non posse hominem justificari juxta illud: (a) *Qui non diligit, manet in morte:* & aliud: (b) *Si charitatem non habuero, nihil mihi prodest.* Ergo &c.

Respondent alii primum locum litteraliter intelligi de charitate fraterna, de qua hic non agitur. Addunt locum explicari posse de charitate habituali, quam qui non habet, manet in morte, cum sine illa homo nequeat justificari, utpote quæ probabilius est forma justificans: de charitate autem actuali generaliter explicari non posse; nam sic parvuli baptizati manerent in morte. Quod si locum vellemus intelligere de charitate actuali erga Deum, dicunt posse explicari ita, ut assereret non posse justificari, qui non diligit, idest qui odit, vel etiam qui non diligit, cum adest positivum præceptum diligendi, quod adesse in casu ipsi negant. Secundum pariter locum dicunt intelligi posse vel de defectu charitatis habitualis, vel de defectu charitatis actualis, cum adest illius præceptum, vel de peccato directe opposito charitati, idest de odio &c.

Rursus assertores primæ sententiæ adducunt Tridentinum, quod (c) dicit fidem non posse præstare vitam æternam sine spe & charitate. Sine charitate ergo homo juxta Tridentinum justificari nequit. Rursus inter dispositiones ad justificationem requisitas Concilium (d) enumerat actum, quo peccator Deum tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiat. Et quod hic fiat men-

(a) 1. *Jo.* 3. (b) 1. *Corint.* 13.
(c) *Sess.* 6. *cap.* 7.
(d) *Ibid. cap.* 6.

mentio de actu charitatis, probant ex Pallavicino narrante (a) quod, cum de decreto prius delineato nulla fieret mentio dilectionis, & aliqui instarent, ut talis mentio fieret, hæc revera facta est, sed cum postea hæc mentio aliquibus aliis non placeret, fuit a Theologis propugnata ita scribentibus: *Non est sermo eo loco de habitu charitatis, sed cum in particula, quæ loquitur de pœnitentia, nulla fiat mentio amoris, visum est cum fide & spe jungere aliquem dilectionis actum, quia si pœnitentia tota esset ex timore sine amore justitiæ, & dolor esset propter pœnam tantum, & non propter Dei offensam, infructuosa esset.* Addunt, quod Tridentinum loquens (b) de attritione, quæ in Sacramento disponit ad justificationem, affert exemplum Ninivitarum, qui timore pœnæ concussi pœnitentiam egerunt, & misericordiam a Deo impetrarunt, quod quidem exemplum, inquiunt ipsi, probat necessitatem alicujus charitatis, cum Ninivitæ certe per solum timorem sine charitate non fuerint justificati.

Respondent alii Tridentinum primo loco tantum asserere non posse obtineri vitam æternam per solum habitum fidei, sed etiam requiri habitum spei & charitatis: vel, si quis velit illud intelligere de actu, explicari posse ita, ut non sufficiat elicere actus fidei, sed etiam requirantur actus spei & charitatis, cum urget præceptum, quod negant urgere in casu. Secundo loco dicunt Tridentinum tantum innuere amorem concupiscentiæ, quo scilicet Deum diligimus ut bonum nobis, & qui includitur in spe veniæ juxta doctrinam D. Thomæ dicentis: (c) *Ex hoc, quod per aliquem speramus nobis posse provenire bona, movemur in ipsum sicut in bonum nostrum, & sic incipimus ipsum amare.* De hoc porro solo amore

(a) *Hist. Conc. Trid. lib.* 8. *cap.* 13. *n.* 13.
(b) *Sess.* 14. *cap.* 4.
(c) 1. 2. *quæst.* 40. *art.* 7.

re Tridentinum loqui probant tum ex quo non dicat peccatorem incipere diligere Deum *tamquam in ſe bonum*, *ſed tanquam omnis juſtitiæ fontem*, ideſt fontem etiam illius juſtitiæ, quam expectant; tum ex verbis immediate antecedentibus, quæ ſpem ſolam indigitant; dicitur enim: *Dum peccatores ſe eſſe intelligentes a divinæ juſtitiæ timore, quo utiliter concutiuntur ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertendo in ſpem eriguntur, fidentes Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore*, & immediate ſubditur: *illumque tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt*, quibus conſequenter ſolus amor proprius ſpei indicari videtur. Addunt per ipſum etiam ſolum timorem hominem incipere diligere Deum juxta illud: (*a*) *Timor Dei initium dilectionis ejus*. Nec deſunt qui dicant Tridentinum ibi non recenſere diſpoſitiones, quæ neceſſario debent, ſed tantum quæ ſolent præcedere juſtificationem, cum inter has enumeret timorem, qui tamen non eſt abſolute neceſſarius, utpote ſine quo poteſt homo juſtificari, ſi nimirum immediate vel ex ſpe beatitudinis, vel etiam ex Divina charitate moveatur. Ergo &c.

Ad id, quod ex Pallavicino additur, reſpondent ibidem ſolum indicari neceſſarium amorem juſtitiæ, quem & ipſi admittunt, ſed dicunt hunc non eſſe amorem charitatis perfectæ, cum ſit tantum amor ſpei, amor ſcilicet, quo ex deſiderio & ſpe juſtitiæ obtinendæ diligitur Deus ut juſtitiæ largitor, qui etiam amor dici poteſt charitas imperfecta. Ipſi etiam fatentur neceſſarium dolorem nedum propter pœnam, ſed etiam propter Dei offenſam, quia dolor, inquiunt, debet cadere ſuper offenſam Dei, licet hæc offenſa in attritione conſideretur in inductiva pœnæ in peccatorem, non ut malum Dei per ſe dilecti: unde

(a) *Eccl.* 25.

de & ipsi fatentur, quod, si quis doleret præcise se meruisse pœnam, & non doleret se offendisse Deum, ex qua offensa postea meruit pœnam, hic non esset sufficienter dispositus ad Sacramentum.

Ad ultimum respondent exemplum Ninivitarum adduci a Tridentino præcise ad ostendendum, quod timor pœnarum est bonus motus & salutaris. Et sane, inquiunt, si ex hoc exemplo possent adversarii inferre necessitatem amoris initialis, posset etiam æqualiter deduci necessitas perfectæ contritionis, cum certum sit Ninivitas non fuisse justificatos per solum prætensum amorem initialem, qui ex ipsis adversariis est insufficiens ad justificandum extra Sacramentum, sed per amorem Dei perfectum in perfecta contritione inclusum. Si ergo nec per ipsos Adversarios hoc potest inferri, a pari &c.

Hæc omnia dupliciter confirmant, primo advertendo quod Tridentinum (*a*) potius videtur favere secundæ sententiæ, dum dicit esse quasi materiam Sacramenti Pœnitentiæ actus pœnitentis, scilicet contritionem &c.; deinde dividit (*b*) contritionem in perfectam, & imperfectam, quam posteriorem dicit concipi vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu, nulla facta mentione amoris charitatis. Quo posito sic argumentantur. Contritio in genere per Tridentinum est pars Pœnitentiæ. Ergo etiam singulæ illius species; quod enim convenit generi, convenit etiam singulis speciebus. Si hoc, sufficit ad valorem & fructum Pœnitentiæ attritio etiam sine prætenso amore initiali, quæ est contritio imperfecta, de qua Tridentinum. Ergo &c. Et sane, inquiunt, sicuti ex verbis Tridentini arguitur sufficientia contritionis perfecte, ita debet

(a) *Sess.* 14. *cap.* 3.
(b) *Ibid. cap.* 4.

bet erui sufficientia imperfectæ. Secundo addunt prætensum amorem initialem, prout explicatur a suis defensoribus, vel semper justificare antecedenter ad Sacramentum (quo posito non salvatur Sacramentum Pœnitentiæ esse Sacramentum mortuorum), vel non esse sufficientem etiam cum Sacramento; nam, inquiunt, vel amor constituitur initialis præcise per hoc, quod sit parum intensus, & nunc semper justificat ante Sacramentum, cum quilibet actus charitatis Dei super omnia justificet; de quocumque enim tali charitatis actu illa omnia verificantur, quæ a Theologis adducuntur (principaliora autem supra adducta sunt) ad probandum charitatem perfectam justificare. Nec ullum est fundamentum adstruendi ut necessarium determinatum aliquem intensionis gradum. Præterea, inquiunt, ille idem amor justificat, qui cadit sub præcepto charitatis. Atqui amor cadens sub hoc præcepto non est amor determinatæ alicujus intensionis, sed solum appretiative summus. Hic ergo amor appretiative summus etiam justificabit. Rursus vel ut amor sit justificativus, requiritur summa intensio possibilis, vel non: primum dici nequit, alias nunquam amor esset justificativus, cum nunquam sit tam intensus, ut non possit magis intendi, si alterum dicatur, duo petunt ab Adversariis, primum, ut assignent gradum intensionis, ad quem debet hic actus pertingere, ut sit justificativus: secundum, ut assignent modum, quo homo potest cognoscere se ad hunc gradum pervenisse, quæ quidem duo ex una parte debent Adversarii assignare, ne dicatur hominem ignorare quomodo debeat elicere actum amoris justificativum, ex alia parte difficillime assignabuntur attenta maxima difficultate cognoscendi præcipue in praxi gradus intensionis actuum internorum.

Vel postea amor constituitur initialis per hoc præcise, quod non sit super omnia, adeoque appretiative summus, & tunc dicunt primo hunc amorem dici inordinatum etiam ab Adversariis, in-

inter quos Cl. Drouven (qui stat pro superiore explicatione amoris initialis) ait: (a) *Hæc est pessima ordinis perturbatio non pluris facere Creatorem, quam creaturam, vel creaturam potiori loco habere*: & supra dixerat amorem Dei, qui non sit super omnia, *amorem Dei esse non posse*, cum sit de natura hujus amoris, ut sit appretiative summus, *ut est de natura ignis esse calidum, & solis esse lucidum*. Hoc autem admisso patet hunc amorem utpote inordinatum & peccaminosum non esse sufficientem in Sacramento. Secundo ita ratiocinantur. Vel hic amor, qui non est appretiative summus Deum postponit rebus graviter ipsi displicentibus, vel rebus leviter tantum displicentibus, vel rebus indifferentibus. Si primum, recurrunt supradicta de insufficientia hujus amoris ex illius inordinatione. Si vero dicantur alia duo, hic quidem amor non erit sufficiens ad tollenda omnia venialia, & erit minimi valoris in linea charitatis, difficile tamen probabitur ipsum non esse mundativum a lethalibus, adeoque justificativum, cum in ipso salvetur substantia & ratio perfectæ charitatis, non enim hæc tollitur per venialia, aut per electionem rerum indifferentium.

Rursus assertores primæ sententiæ adducunt plura loca SS. Patrum innuentium insufficientiam doloris ex timore pœnæ ad justificationem, quibus contrarii occurrunt dicendo Patres, dum insufficientiam doloris ex motivo pœnæ adstruunt, vel loqui de dolore concepto ex timore serviliter servili, vel talem insufficientiam adstruere in dolore independenter a Sacramento, vel illorum dicta explicando proportionaliter ad supra allata circa objectos textus Scripturæ.

Ad-

(a) *Tom. 2. de re Sacr. de Contrit. cap. 4. art. 3. §. 1.*

Adducunt tandem Auctores primæ sententiæ varias rationes, quarum præcipuæ hæ ſunt.

I. Dolor ad confeſſionem requiſitus debet eſſe deteſtatio peccati, ut eſt offenſa Dei. Talis non eſt dolor attritionis abſque aliquali dilectione; nam hic eſt deteſtativus peccati, prout eſt malum peccatoris. Ergo &c.

II. Malitia peccati in hoc conſiſtit, quod homo magis amet creaturam, quam Deum. Ergo debet peccator ad remiſſionem ſe diſponere per hoc, quod magis amet Deum, quam creaturam, adeoque per charitatem.

III. Sicuti per peccatum homo a Deo avertitur, ita, ut obtineat peccati remiſſionem, debet ad Deum converti. Non convertitur autem per dolorem ex puro timore provenientem; nam cum timor potius faciat, ut fugiamus ab eo, quem timemus, quam ut illum ſequamur, dolor ex tali timore conceptus potius nos avertit a Deo ut nobis malo, quam ad illum nos convertat.

IV. Habitus fidei & ſpei amiſſi non recuperantur niſi prævio actu fidei & ſpei. Ergo nec habitus charitatis amiſſus recuperatur niſi per actum charitatis.

V. Dolor ex ſolo timore pænarum conceptus non opponitur omni peccato; nam eſt actus proveniens a ſpe: ſpes autem, cum ſit virtus tantum particularis, non opponitur niſi particulari ſpeciei peccati. Ergo hic dolor non eſt ſufficiens ad confeſſionem.

VI. Pueri ad uſum rationis pervenientes non manent in gratia, niſi eliciant actus amoris Dei. Ergo multo minus peccator adultus obtinebit commiſſi peccati veniam, niſi eundem actum eliciat.

VII. In lege veteri, quæ erat lex timoris, non juſtificabantur adulti peccatores niſi per actum charitatis erga Deum. Ergo a fortiori non juſtificantur niſi per talem actum peccatores in lege nova, quæ eſt lex amoris.

Ad I. reſpondent alii attritionem etiam abſque charitate actuali eſſe deteſtationem peccati, ut eſt offenſa Dei dilecti non quidem per amorem amicitiæ,

tiæ, sed per amorem concupiscentiæ, cum peccatum per talem attritionem detestemur, quatenus per illud Deum offendendo meruimus, ut non sit nobis bonus, sed potius sit punitor noster. Dicunt autem Deum contentum fuisse, ut in Sacramento ita peccatum detestaremur, quia in Sacramento justificamur ex opere operato, adeoque peculiariter ex meritis Christi, in cujus gratiam Deus cedit juri, quod haberet, ut nos detestaremur peccatum qua offensam sui ipsius dilecti per amorem amicitiæ.

Ad II. Respondent cohærenter ad supra dicta, quod licet extra Sacramentum debeat homo ad remissionem peccati se disponere per hoc, quod Deum præ omnibus amet amore amicitiæ, in Sacramento tamen sufficit, si ad illum se disponat per hoc, quod Deum amet amore concupiscentiæ.

Ad III. Respondent per attritionem peccatorem sufficienter converti ad Deum, cum hæc debeat jungi proposito non amplius peccandi, & adhærendi ipsius voluntati.

Ad IV. Respondent recuperationi habitus fidei & spei prærequiri illarum actus, quia isti habitus non recuperantur nisi mediante gratia, quæ non confertur nisi mediante Pænitentia salutari, hæc autem haberi nequit nisi positis istis actibus. At Pœnitentia, per quam debet recuperari habitus charitatis, potest haberi etiam sine actu charitatis. Ergo &c.

Ad V. Respondent dolorem de peccato conceptum ex motivo spei sufficienter extendi ad omnia peccata, si sit absolutus & efficax, ut hic supponitur esse; licet enim spes sit virtus peculiaris, adhuc tamen debet tendere in objectum suum per remotionem cujuscumque impedimenti. Cum ergo omne peccatum sit impedimentum ad consecutionem objecti spei, ex qua elicitur attritio, ideo ad omne peccatum hæc attritio extenditur.

Ad VI. Respondent distinguendo consequens, illudque concedendo, cum peccator debet obtine-

re

re veniam extra Sacramentum, negando vero, cum debet obtinere in Sacramento.

Ad VII. respondent legem novam non ideo dici legem amoris, quia semper ad justificationem requiratur amor, sed quia & majora sunt in hac lege motiva amandi Deum, quam in lege veteri, & quia Deus magis in hac lege, quam in veteri, ostendit amorem suam erga homines instituendo media faciliora ad justificationem, inter quæ illud etiam est, quod in Sacramento Pænitentiæ nunc solum requiratur dolor ex motivo timoris, qui dolor facilior est dolore ex motivo amoris in lege veteri requisito.

Hucusque de quæstione hac speculativo modo actum est. At quid circa praxim? Potestne scilicet posterior sententia ad praxim deduci? (De priore, ut patet, dubium non est, cum hæc sit tuta, adeoque ad praxim reducibilis.)

Dubium autem circa posteriorem ex eo oritur, quod hic agitur de valore Sacramenti, quo in casu juxta damnationem factam ab Innocentio XI. propositionis alibi relatæ: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis &c.*, non licet sequi aut probabilem aut probabiliorem, sed tenemur sequi tutam, aut saltem moraliter certam. Sententia autem hæc nec ab illis, qui pro ipsa stant, videtur dici posse aut tuta aut moraliter certa, cum sententia contraria, nempe prima, utpote a plurimis magnæ notæ Theologis & gravissimis rationibus propugnata sit probabilis, & dicere illam improbabilem vetet Alexander VII. decreto supra allato, ubi prohibet, ne alterutra sententia ulla theologica censura notetur, adeoque ne alterutra dicatur improbabilis: quo posito sententia posterior dici non potest moraliter certa, nec dici potest tuta, cum illius usus exponat Sacramentum probabili periculo frustrationis.

Respondent tamen plures ex assertoribus hujus posterioris sententiæ ipsam esse moraliter certam. Hoc deducunt ex praxi; nam pluries pœnitentes solum attriti ex metu absque ullo formali

amore charitatis accedunt ad Sacramentum, & confeſſarii his pœnitentibus abſolutionem impertiuntur. Imo etiam in catecheſibus, quæ fiunt ad pueros inſtruendos circa Sacramentum Pœnitentiæ, multis in locis traditur hanc attritionem ſufficere: quod ſane Epiſcopi, & Summi Pontifices non ignorant, & tamen permittunt, non permiſſuri (cum agatur de re tanti momenti) ſi revera pro praxi hæc ſententia non eſſet moraliter certa.

Ad quam rem afferunt præcipue inſtructionem exaratam in Concilio Romano ſub Benedicto XIII., de qua ſupra, & in qua, dicunt ipſi, ſicuti & in aliis plurimis ſimilibus non traditur doctrina, quæ non ſit practice probabilis (adeoque moraliter certa, cum hic de valore Sacramenti agatur); ridiculum enim eſſet, ut rudibus exhiberetur doctrina, quam non poſſent reducere ad praxim. Et ſane dicunt ipſi, ſi non dicamus ſententiam hanc moraliter certam, de graviſſimo peccato damnemus oportet Epiſcopos illos, qui in inſtructionibus rudiorum docent ſufficere attritionem ex ſolo timore conceptam, pœnitentes & confeſſarios, qui juxta hanc ſententiam operantur, & ipſos quoque Summos Pontifices, qui ſcientes juxta hanc ſententiam fideles operari, ſi viderent eos in re tanti momenti decipi, proprio muneri deeſſent id non impediendo. Hoc non. Ergo nec primum.

Non autem negant iſti ſententiam priorem eſſe probabilem in ſe, ſed ſolum eſſe probabilem in conflictu poſteſioris; volunt enim tot eſſe tamque valida pro hac fundamenta, ut ipſam extollendo ad moralem certitudinem vix ullam relinquant alteri probabilitatem: quomodo licet ſit ſententia multorum, quod nec ſufficiat attritio cum initiali amore, ſed requiratur contritio perfecta in Sacramento, quod pro ſingulis peccatis ſinguli actus doloris debeant elici, ſententiæ tamen enumeratis contrariæ ita invaluerunt, ut priores vix amplius probabiles dici poſſint.

Neque hoc dicentes inobedientes putari volunt decreto Alexandri VII.; nam dicunt ipſi, ali-

aliquam ſententiam appellare improbabilem, non eſt cenſura theologica; ſi enim eſſet, cum pariter S. Pius V. vetuerit, ne ulla ex duabus oppoſitis ſententiis circa immaculatam conceptionem Deiparæ ulla cenſura notetur, nec poſſet aſſeri ſententiam negantem fuiſſe Deiparam immaculate conceptam eſſe improbabilem, quod nemo dixerit. Addunt quod, ſi eſſet cenſura theologica aſſerere ſententiam priorem eſſe improbabilem, eſſet etiam aſſerere poſteriorem eſſe practice improbabilem, quod tamen dicunt ipſorum adverſarii. Ergo &c.

Utrum hæ reſponſiones ſufficienter tollant difficultatem, judicent alii: ipſe ſane definire non audeo.

Ex dictis colligitur primo non requiri ad Sacramentum Pœnitentiæ, ut attritio exiſtimetur contritio, quidquid aliter aliqui dixerint; nam cum ſit moraliter certa ſufficientia attritionis, ſaltem prout includit aliquem amorem initialem charitatis juxta priorem ſupra expoſitam ſententiam, non eſt cur dicamus requiri, ut exiſtimetur contritio: ſecundo nec in morte requiri ex vi præcepti circa Sacramentum Pœnitentiæ, contritionem perfectam; licet enim tunc teneamur adhibere media tuta pro ſalute, poſſumus tamen etiam adhibere attritionem jam dictam; cujus ſufficientia eſt moraliter certa. Dixi *ex vi præcepti circa Sacramentum Pœnitentiæ*; nam modo præſcindo ab obligatione proveniente pro tunc ex præcepto charitatis: tertio male ſe gerere, qui ita contritionis actum exprimunt: *doleo me peccaſſe non ob infernum, quem merui, aut ob gloriam, quam amiſi, ſed ob bonitatem Dei quam offendi*; nec enim motivum charitatis debet excludere alia motiva, cum potius motivum timoris poſſit viam ſternere motivo amoris: quarto colligitur ſenſus illius effati, quod *in Sacramento Pœnitentiæ attritus fit contritus*, hoc ſcilicet ſignificat, quod attritio cum Sacramento præſtat illum effectum, quem præſtaret contritio perfecta, & præterea quod per attri-

 tio-

tionem cum Sacramento homo acquirit gratiam ſanctificantem, adeoque habitum charitatis, qui eſt principium per ſe elicitivum contritionis perfectæ.

Ad complementum dicendorum circa attritionem noto cohærenter ad dicta, præter timorem pœnæ æternæ, hanc attritionem poſſe etiam concipi ex aliis motivis, ſcilicet primo ex amiſſione æternæ gloriæ, quod motivum a Tridentino comprehenditur nomine *gehennæ*, quatenus hæc includit pœnam tum ſenſus, tum damni (ex quo etiam patet quam merito damnata ſit ab Alexandro VIII. propoſitio: (*a*) *Intentio, qua quis deteſtatur malum, & proſequitur bonum mere ut cœleſtem gloriam obtineat, non eſt recta nec Deo placens*): ſecundo ex fœditate peccati, quatenus ſcilicet peccatum monſtrum eſt quoddam maxime deturpans ipſum peccatorem, quod etiam docet Tridentinum (unde patet falſitas propoſitionis ab Alexandro VIII. damnatæ: (*b*) *Revera peccat, qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem*). Ad quod motivum reducitur oppoſitio peccati cum virtutibus Deum reſpicientibus, puta cum obedientia Deo debita, cum reverentia debita ipſius Majeſtati, cum gratitudine pro beneficiis acceptis &c. Hæc tamen fœditas, ſicuti omnia alia motiva attritionis cognoſci debent lumine ſupernaturali, alias attritio ex illis concepta eſſet mere naturalis, adeoque improportionata Sacramento, quod etiam docuit Innocentius XI. damnando hanc propoſitionem: (*c*) *Probabile eſt ſufficere attritionem naturalem modo honeſtam*. Patet autem attritionem de venialibus non poſſe procedere ex motivo gehennæ, vel amiſſionis æternæ gloriæ, ſed procedere debere vel ex motivo purgatorii, vel dilationis æternæ gloriæ, vel turpitudinis ipſius peccati.

Tan-

(a) 10. (b) 9. (c) 67.

Tandem noto dolorem tum de venialibus, tum de mortalibus posse probabilius concipi ex motivo, dummodo supernaturaliter cognito, pœnarum in hac vita a Deo infligendarum ob peccatum. Colligitur hoc ex Tridentino dicente attritionem concipi ex motivo *gehennæ & pœnarum*; per illud enim *& pœnarum* intelligunt plerique pœnas hujus vitæ, ut innuatur aliquid distinctum ab eo, quod innuitur per illud *gehennæ*, quod indicat pœnas alterius vitæ. Sed cum hoc non sit sufficienter certum contradicentibus plerisque idem intelligentibus per illud *pœnarum*, ac per illud *gehennæ*, vel ad summum per primum intelligentibus pœnam damni, per secundum pœnam sensus, ideo ad praxim hæc posterior sententia reduci nequit.

ARTICULUS TERTIUS.

Locus hic est examinandi, utrum Sacramentum Pœnitentiæ possit esse validum & informe, validum quidem, quatenus revera illud sit constitutum in esse: informe vero, quatenus non conferat gratiam. Ideo autem hic talem controversiam examinandam suscipio, quia non potest dubitari, utrum Sacramentum hoc possit esse validum & informe nisi ex parte doloris; certe enim non potest esse tale ex parte Confessionis, cum hæc vel sit formaliter integra, & tunc Sacramentum sit & validum & fructuosum, vel non sit formaliter integra, & tunc nec validum sit, nec fructuosum. Nec tale potest esse ex parte absolutionis, cum vel ponatur vera absolutio, & tunc Sacramentum sit & validum & fructuosum, vel non ponatur, & tunc nec sit validum, cum deficiat forma Sacramenti. E contrario certum est ex alio capite posse dari hoc Sacramentum validum & informe, si nempe eo instanti, quo terminatur absolutio, pœnitens committat lethale; tunc enim Sacramentum est validum; nam posita sunt omnia illius constitutiva, sed est infor-

me; nam per peccatum superveniens impeditur effectus gratiæ. Dubium ergo remanet circa dolorem, quæritur scilicet utrum possit dari Sacramentum Pœnitentiæ, in quo dolor sit quidem sufficiens ad valorem Sacramenti, sed non ad fructum. Affirmant communius cum pluribus aliis Thomistæ, negant cum Scotistis alii plures. Cum posterioribus sit

Assertio. *Sacramentum Pœnitentiæ ex parte doloris nequit esse validum & informe.*

Prob. ex Tridentino. Vel dolor habet conditiones omnes a Tridentino requisitas, ut sit pars Sacramenti, vel non: si habet, Sacramentum est ex parte doloris validum & fructuosum: si non habet, nec est validum, nec fructuosum. Ergo &c. Sane conditiones a Tridentino requisitæ sunt, ut dolor sit universalis respectu mortalium, ut sit efficax &c. Hæ autem conditiones & requiruntur & sufficiunt ad fructum Sacramenti. Ergo &c. Ex quo patet, cur alia Sacramenta E. G. Baptismus, Confirmatio &c. possint esse valida & informia, non vero Pœnitentia ex parte doloris; in aliis enim quæ dispositiones requiruntur ad fructum, non requiruntur ad valorem. At in Pœnitentia qui dolor requiritur ad fructum, requiritur etiam ad valorem. Ergo &c.

Obj. ex ratione. Habeat Titius duo peccata mortalia in anima, sed unum tantum in conscientia, idest unius tantum recordetur, & interim accessurus ad Sacramentum de secundo doleat ex motivo peculiariter pertinente ad illud peccatum, puta ex peculiari turpitudine, qua illud tali vel tali virtuti opponitur, tunc Sacramentum est infructuosum, cum non possit conferri gratia nisi retractatis omnibus lethalibus, quod in casu non accidit; & tamen ex parte doloris est validum, cum hic cadat supra peccatum, de quo pœnitens recordatur, nec sit necesse, ut cadat etiam super invincibiliter oblita, quomodo non est necesse, ut confessio cadat supra peccata invincibiliter oblita. Ergo &c.

Si

Si sequamur sententiam volentium in attritione requiri aliquem amorem Dei initialem, facilior est responsio; nam tunc licet attritio possit concipi ex parte ob motivum particulare, ex alia tamen parte concipitur ex motivo universali, quale est motivum charitatis perfectæ, quod se extendit ad quæcunque peccata etiam oblita, adeoque illa retractat, quo posito dolor in casu erit sufficiens tum ad valorem, tum ad fructum. Si vero sequamur aliam sententiam negantem necessitatem amoris initialis, ℟. dolorem in casu futurum insufficientem nedum ad fructum, sed etiam ad valorem Sacramenti. Dolor enim necessarius ad valorem debet cadere super omnia mortalia commissa, cum ex Tridentino (a) continere debeat veteris vitæ odium, quod profecto importat dolere de omnibus mortalibus. Unde quamvis possit concipi dolor alicujus peccati ex motivo peculiaris turpitudinis illius, hic tamen solum sufficiet pro Sacramento, cum nullum aliud habetur peccatum, nisi quod per illum retractetur: cæterum si alia quoque sint peccata, debet is, qui vult elicere dolorem ex motivo particulari, elicere etiam alium dolorem ex motivo se extendente ad alia peccata, quæ sunt in anima. Paritas autem adducta non subsistit; nam Tridentinum loquens de dolore, docet illum debere cadere super omnia commissa, ut superius innui, cum e contra loquens de confessione dicat (b) illam debere cadere super peccata, *quorum post diligentem sui discussionem pœnitens conscientiam habet*, adeoque solum super ea, quorum recordatur: & præterea possumus quidem de peccatis oblitis dolere sufficienter ad obtinendum finem, quem intendimus per talem dolorem, sed illa non possumus confiteri sufficienter ad obtinendum finem

(a) *Sess.* 14. *cap.* 4.
(b) *Sess.* 14. *cap.* 5.

confessionis: scilicet cum finis doloris sit retractatio peccati, hanc sufficienter habemus per dolorem universaliter cadentem in offensam Dei a nobis admissam, etsi non recordemur nos tali vel tali modo offendisse Deum: at finis confessionis est, ut confessarius possit efformare judicium circa conditionem delicti, & statum delinquentis, etsi autem pœnitens generaliter manifestet se peccasse (non enim aliter potest confiteri peccata oblita), nequit confessarius tale judicium efformare. Ergo &c.

CAPUT QUARTUM.

De Sacramentali Confessione.

EXplicabo 1. quid sit hæc confessio, & exponam varias opiniones circa illam, agamque de illius antiquitate: 2. ostendam ipsam esse necessariam de jure Divino lapsis in lethali post Baptismum: 3. examinabo quinam & quando obligentur præcepto confessionis: 4. agam de confessionis materia.

ARTICULUS PRIMUS.

Confessio sacramentalis est *accusatio peccatorum suorum post Baptismum commissorum, facta a pœnitente Sacerdoti ad eorum remissionem per absolutionem sacramentalem obtinendam*. Hæc confessio apud Patres sæpe dicitur *exomologesis*, quamvis etiam aliquando hoc nomen non pro sola confessione sumatur, sed pro toto ritu Pœnitentiæ. Appellatur etiam passim *confessio auricularis*, quia ad aures Sacerdotis fit & secreto, ad differentiam confessionis publicæ, quæ aliquando facta est a Pœnitentibus ad uberiorem humiliationem, quæque subinde non fuit sacramentalis.

Circa confessionem præter illos, quos supra dixi negasse Sacramentum Pœnitentiæ, specialiter errarunt Hæretici dicti *flagellantes*, qui doce-

cebant non esse necessariam confessionem peccatorum ad obtinendam illorum veniam, quæ per corporis cruciatus potest obtineri. Wiclephus docuit (a) quod, *si homo debite fuerit contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua & inutilis*. Petrus de Osma docuit confessionem auricularem esse necessariam solum de jure ecclesiastico. Lutherus aliquando confessionem tanquam utilem admisit, sed illam ut necessariam de jure Divino negavit, imo asseruit ipsam, ut adhibetur in Ecclesia, esse carnificinam animarum. Idem sensit Calvinus, sentiuntque Calvinistæ communiter, inter quos Dallæus aggressus est probare confessionis usum non esse antiquiorem Innocentio III.

Antequam autem ex professo probem confessionem sacramentalem esse necessariam jure Divino, præstat breviter ostendere usum illius non cœpisse ab Innocentio III., ut jactat Dallæus, sed eum semper in Ecclesia viguisse. Sane omissis aliis, primo antiquissimi Patres illius necessitatem agnoverunt, quo posito non est dubium, quin illam adhibuerint. Tertullianus redarguens illos, qui confiteri erubescebant, inquit: (b) *Plerosque hoc opus, ut publicationem sui aut suffugere, aut de die in diem differre præsumo, pudoris magis memores, quam salutis, veluti illi, qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione conscientiam medentium vitant, & ita cum erubescentia sua pereunt*. Chrysostomus ait: (c) *Hanc mulierem* (Samaritanam) *& nos imitemur, & peccatis nostris vulgandis ne vereamur homines .... Nam qui solum, ne hominibus turpis videatur, cavet .... si non pœnitentiam agat, in illa die non ante unum aut duos, sed orbe toto vidente traducetur*. S. Ambrosius *si vis*, in-

(a) *Art. 7. inter damnat. in Constant.*
(b) *De Pœnit. cap.* 10.
(c) *Homil.* 34. *al.* 33. *in Jo. n.* 3.

inquit, (a) *justificari, fatere delictum tuum; solvit enim criminum nexus verecunda confessio peccatorum*. Tertio usum fuisse antiquitus in Ecclesia, ut fideles confiterentur peccata, colligitur ex Origene, qui, postquam dixerat necessarium esse, ut singuli peccata propria confiteantur, subdit: (b) *Circumspiciendum est diligentius, cui peccata confitearis, probandum prius esse medicum, cui languorem tuum exponas*: ubi supponit plures in Ecclesia fuisse paratos ad audiendas confessiones, & ex Paulino narrante de S. Ambrosio (c), quod ipse *pœnitentium confessiones excipiebat, & causas criminum, quas illi confitebantur, nulli nisi Domino soli loquebatur*.

Respondet Dalleus usum quidem viguisse antiquitus in Ecclesia, ut fieret confessio peccatorum, sed hanc fuisse publicam & ordinatam ad publicam pœnitentiam, non autem fuisse confessionem sacramentalem & ordinatam ad sacramentalem absolutionem.

Sed futilis est hæc responsio; ex allatis enim testimoniis colligitur necessariam esse confessionem, & adhibitam ad vere obtinendam remissionem peccatorum, quæ nonnisi in Sacramento Pœnitentiæ conceditur. Hæc autem confessio sive sit publica, sive secreta parum refert; Christus enim alterutrius contentus est, dummodo hæc sufficiat, ut Sacerdos possit cognoscere conditionem criminum pœnitentis. Cæterum etiam antiquitus viguisse usum confessionis secretæ & auricularis, colligitur ex supra relato facto S. Ambrosii.

ARTICULUS SECUNDUS.

Sed jam ostendenda ex professo hujus confessionis necessitas. Sit ergo

As-

(a) *Lib. 2. de Pœnit. cap. 6.*
(b) *Homil. 2. in Psalm.* 37.
(c) *in illius vita.*

ASSERTIO. *Confessio peccatorum est lapsis post Baptismum in lethale necessaria de jure Divino ad obtinendam illorum absolutionem in Sacramento Pœnitentiæ*. Est de fide.

Prob. ex Scripturis. Dixit Christus Apostolis: (a) *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*: his, ut supra probavi, Christus Apostolos constituit judices, qui peccata dimitterent in Sacramento Pœnitentiæ, vel retinerent. Ut autem tamquam judices bene agerent, necesse erat, ut causam cognoscerent, quod sine accusatione pœnitentis obtineri non poterat Ergo &c.

Prob. ex Tridentino, quod expendens dicta verba Christi: (b) *Ex institutione Sacramenti Pœnitentiæ universa Ecclesia semper intellexit institutam etiam esse a Domino integram peccatorum confessionem, & omnibus post Baptismum lapsis jure Divino necessariam existere, quia Dominus Jesus Christus ..., Sacerdotes sui Vicarios reliquit tanquam præsides & judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christifideles ceciderint, quo pro potestate clavium remissionis, aut retentionis peccatorum sententiam pronuncient; constat enim Sacerdotes judicium hoc incognita causa exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis servare potuisse, si in genere duntaxat, & non potius in specie, ac singillatim sua ipsi peccata declarassent*: rursus ait: (c) *Si quis negaverit sacramentalem confessionem vel institutam vel ad salutem necessariam esse jure divino, aut dixerit modum secreto confitendi soli Sacerdoti, quem Ecclesia Catholica ab initio semper observavit & observat, alienum esse ab institutione &* man-

(a) *Jo.* 20.
(b) *Sess.* 14. *cap.* 5.
(c) *Sess.* 14. *Can.* 6.

mandato Christi, & inventum esse humanum, anathema sit.

Prob. ex Patribus, qui cum necessariam adstruant confessionem peccatorum, ut confessarii tanquam judices ligent vel solvant, consequenter confessionem dicunt necessariam de jure divino; Deus quippe hanc judiciariam potestatem Sacerdotibus concessit. Ita S. Basilius inquiens: (a) *Necessario iis peccata aperire debent, quibus credita est dispensatio mysteriorum Dei*: & S. Pacianus ait: (b) *Rogo vos .... desinite vulneratam tegere conscientiam. Prudentes ægri medicos non verentur ne in occultis quidem corporum partibus secaturos, etiam perusturos, &... peccator erubescet perpetuam vitam præteriti pudore mercari? An sic illi melius est perire?* & S. Hieronimus, *Episcopus*, inquit, (c) *& Presbyter .... pro officio suo, cum audierit peccatorum varietates, scit qui ligandus sit, quive solvendus*. S. Augustinus, *Cum audis*, inquit, (d) *hominem confitendo proferre conscientiam, jam de sepulcro eductus est, sed nondum solutus. Quando solvitur? a quibus solvitur? Quæ solveritis inquit, in terra &c.* S. Gregorius magnus: (e) *Causæ*, inquit, *pensandæ sunt, & tunc ligandi atque solvendi potestas exercenda: videndum quæ culpa præcesserit, aut quæ pœnitentia sequuta sit post culpam*. Ergo &c.

Ob. ex Scripturis. I. in parabola Filii prodigi, & Publicani, qui adumbrarunt peccatores contritos, nulla habetur mentio confessionis, & tamen isti remissionem peccatorum obtinuerunt: imo absque confessione & Petrus, & Zachæus, & Magdalena veniam a Christo impetrarunt. Ergo &c.

II.

(a) *in regul. brevior. interrog.* 288.
(b) *in parenes. ad Pœniten.*
(c) *in cap.* 16. *Matt. v.* 19.
(d) *Conc.* 2. *in Psal.* 101. *n.* 3.
(e) *lib.* 2. *homil.* 26. *in Evangel. n.* 6.

II. Vult Christus, ut Pœnitentia sit secreta juxta illud (a): *Tu autem cum jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava, ne videaris hominibus jejunans, sed Patri tuo, qui videt in abscondito &c.* Ergo excludit confessionem, quæ Pœnitentiam manifestat.

Ad I. ℟. Ex adductis parabolis solum erui Deum conferre remissionem peccati peccatori contrito, sed hoc non tollit, quod sit necessaria confessio, cujus utpote præceptæ propositum debet necessario includi in contritione. Multo minus probant, quæ desumuntur ex remissione obtenta a Zachæo, Petro &c.; hi enim remissionem obtinuerunt immediate a Christo, qui poterat illis peccatum remittere absque Sacramento.

Ad II ℟. Christum solum docere non esse elicienda opera virtutum ad vanam gloriam; nam si doceret nullum hominem conscium esse debere pœnitentiæ, errasset Ecclesia, quæ per plura sæcula adhibuit publicas pœnitentias, unde S. Augustinus, vel quivis alius sit auctor sermonis infra citati, ait (b): *Nemo sic dicat: occulte ago, apud Deum ago, novit Deus, qui mihi ignoscit, quid in corde ago. Ergo sine causa dictum est: quæ solveritis in terra, erunt soluta in cælo? Ergo sine causa claves datæ sunt Ecclesiæ? Frustramus Evangelium, frustramus verba Christi.*

Obj. ex Tridentino. Hoc docet (c) Ecclesiam de occultis non judicare. Ad quid ergo confessio peccatorum occultorum?

℟. Ecclesiam utique non judicare de occultis, quamdiu remanent occulta, at si hæc ad illius notitiam perveniant, de illis judicare. Et ex hoc ipso infertur necessitas confessionis; cum enim ex probatis Ecclesia debeat judicare de peccatis, ut-

(a) *Matt 6.*
(b) *Serm. 392. al. homil. 49. inter 50.*
(c) *Sess. 24. cap. 1.*

utpote cui data est potestas ligandi atque solvendi, debet idcirco peccata ipsa cognoscere, consequenter necessaria est pœnitentis confessio.

Obj. ex praxi Ecclesiæ I. Ecclesia antiquitus neglexit confessionem; nam paucissima extant antiqua monumenta ostendentia usum confessionis, quam tamen antiqui fideles frequenter adhibuissent, si hæc esset jure divino necessaria. Præterea licet frequentissima esset antiquitus perceptio Eucharistiæ (qua maxime occasione per nos viget præceptum confessionis), nusquam tamen invenimus præscriptum, ut fideles ante illam confiterentur peccata. Rursus ab Ecclesia hanc confessionem fuisse neglectam probatur ex quo nullum ante Lateranense IV. erat præceptum de illa.

II. Confessio non est in usu in aliis Ecclesiis præter Latinam; nam non est in usu apud Ægyptios, ut testatur Alphonsus Mindesius, non apud Indos, ut testatur Jarricus, non apud Armenos, ut testatur Orlandinus, non apud Græcos, ut testatur Arcudius. Ergo &c.

III. Nedum Ecclesia neglexit confessionem, sed aliquando sustulit. Hoc colligitur ex facto Nectarii Episcopi Constantinopolitani, quod narrat Socrates (a). Post schisma Novatianum Episcopi Presbyterum Pænitentiarium constituerunt, qui fidelium confessiones exciperet. Ad istum accessit mulier, & peccata sua confessa est: postea vero rediit, & accusavit stuprum cum Diacono perpetratum. Ex hoc effectum, ut Diaconus Ecclesia pelleretur: & cum propterea commotio orta esset in populo, quidam Eudæmon Nectario suasit, ut Pænitentiarium expungeret, & unumquemque pro arbitrio & conscientia sua ad Sacramentorum communionem sineret accedere, quæ omnia Necta-

(a) *Lib.* 5. *Hist. cap.* 19.

ctarius præſtitit. Hoc idem narrat Sozomenus addens fere omnes Epiſcopos ſecutos Nectarii exemplum. Ergo &c.

Ad I. ℟. ideo ſolum extare pauca antiqua monumenta confeſſionis, tum quia conſulto, ut alibi dixi, antiqui Scriptores ritus & myſteria noſtræ Religionis raro ſcriptis conſignabant, ne ea exponerent deriſioni infidelium, tum quia confeſſio ſub generali nomine Pœnitentiæ veniebat. Ad id, quod additur, ℟. præceptum confeſſionis præmittendæ Communioni colligi ex Eccleſiaſtica conſuetudine, ut docet Tridentinum (*a*). Ad aliud ℟. ante Lateranenſe non fuiſſe ab Eccleſia præſcriptum tempus confeſſionis, quod poſtea præſcriptum ab illo eſt. Cæterum præceptum divinum de tali confeſſione antecedenter extabat, nec eſt abſolute neceſſarium, ut quæ Deus præcipit, etiam Eccleſia præcipiat.

Ad II. ℟. mirum non fore, ſi aliquæ Eccleſiæ ſchiſmaticæ confeſſionem reſpuerint, cum circa alia quoque fidei capita errent. Cæterum apud omnes fere Eccleſias Orientales confeſſionem eſſe in uſu videri poteſt probatum apud Natalem Alexandrum, Morinum, Vitaſſium, atque Drouven, & etiam in uſu eſſe apud Græcos teſtantur ipſorum Euchologia, licet raro illam adhibeant, idque eſt, de quo conqueritur Arcudius.

Ad III. ℟. Presbyterum Pœnitentiarium, quem ſubſtulit Nectarius, illum ſolum fuiſſe, qui præerat Pœnitentiis publicis. Unus ſcilicet Presbyter tunc eligebatur ab Epiſcopis, qui inquireret quinam eſſent rei delictorum publicæ Pœnitentiæ ſubjectorum, atque illos in publicum deduceret, ſi aliunde, quam ex ſacramentali confeſſione, agnoviſſet, ſi vero ex ſacramentali confeſſione, urgeret ad publice hæc crimina confiten-

(a) *Seſſ.* 13. *cap.* 7.

tenda, ut postea publicam ipsis imponeret Pœnitentiam. Eligebatur autem, ut inquit Sozomenus, Presbyter taciturnus, quia debebat reticere peccata, quæ vel non erant subjecta publicæ Pœnitentiæ, vel etiam si essent, cognoscebat tamen ex sacramentali confessione, nec qui ea confessi erant, contenti erant, ut manifestarentur. Cum ergo occasione publicæ Pœnitentiæ, cui subjecta fuerat mulier illa, de qua in objectione, hæc diutius in Ecclesia perseveraret, stuprum habuit cum Diacono, quod cum divulgatum fuisset, Nectarius substulit hunc Presbyterum Pœnitentiarium qui publicæ Pœnitentiæ ex officio præesset. Hinc cum dicitur Nectarium statuisse, ut quilibet pro arbitrio & conscientia sua ad sacramentalem Communionem accederet, solum indicatur ipsum statuisse, ut nullus amplius cogeretur ante Communionem subire publicam Pœnitentiam ab hoc Sacerdote impositam.

Sane Presbyterum hunc Pœnitentiarium fuisse publicæ Pœnitentiæ præpositum probat I. occasio, qua institutus fuit, nimirum ob lapsos in persecutione Deciana, qui publicæ Pœnitentiæ erant subjiciendi. II. quod *Pœnitentiæ* & *pœnitentium* nomine subinde veniunt apud antiquos pœnitentes publici & publica Pœnitentia. III. quod Sozomenus narrato Nectarii facto dicit in aliquibus aliis Ecclesiis, & præsertim in Romana retentum fuisse hoc Presbyteri officium, & postea describit ritum publicæ Pœnitentiæ, qui Romæ suo tempore servabatur. IV. quod dicatur unum tantum in singulis Ecclesiis fuisse destinatum ad munus Pœnitentiarii, qui certe, si præesse debuisset confessioni privatæ, fuisset multitudini insufficiens. Nectarius ergo substulit solum Presbyterum Pœnitentiæ publicæ præpositum, & publicam Pœnitentiam (subintellige tamen illam solum, quæ imponebatur a Presbytero Pœnitentiario pro occultis peccatis; quæ enim imponebatur ab Episcopis pro publicis & notoriis ex antiquo Ecclesiæ instituto, adhuc post Nectarium vi-

guit

guit, ut colligitur ex S. Chrysostomo, S. Nilo, Concilio Trullano, & S. Methodio).

Obj. ex Patribus & Doctoribus. I. Chrysostomus ait: (*a*) *At verecundaris, & erubescis enuntiare peccata? Sane etiamsi coram hominibus ea dicenda essent & evulganda, ne sic quidem verecundari oporteret; pudor enim & ignominia est peccare, non quæ peccaveris confiteri: jam vero neque necessarium est præsentibus testibus confiteri. Apud conscientiæ rationes fiat disquisitio delictorum, sine teste sit judicium: Deus te confitentem solus audiat, Deus, qui peccata non exprobat, sed ex confessione peccata delet*: & alibi inducit Deum ita loquentem peccatori: (*b*) *Non cogo te in medium prodire theatrum, ac multos adhibere testes: mihi solum dic peccatum privatim, ut sanem ulcus, teque dolore liberem.*

II. S. Gregorius Nyssenus dicit (*c*) *avaritiæ peccata a Patribus, dum pœnitentiæ canones ediderunt, fuisse permissa*. Ergo peccatorum confessio non est jure divino præcepta, alias sicuti aliorum peccatorum, ita & avaritiæ fuisset præscripta confessio.

III. S. Ambrosius *Lacrymæ*, inquit (*d*), *lavent delictum, quod voce pudor est confiteri.*

IV. Beda *Quisquis*, inquit (*e*), *hæretica pravitate . . . etiam schismate fraterno quasi vario colore per gratiam caruerit, necesse est ad Ecclesiam veniat, coloremque fidei verum, quem acceperit, ostendat. Cætera vero vitia per seipsum interius in conscientia & intellectu Dominus sanat & corrigit.*

V. Mul-

(a) *Homil. non esse ad gratiam concionandum n.* 3. (b) *Homil.* 4. *de Lazzaro n.* 4.
(c) *Epist. ad Letojum.*
(d) *Lib.* 10. *in Lucam n.* 88.
(e) *Lib.* 5. *in Luc. cap.* 69.

V. Multos Doctores putare non esse de jure Divino necessariam confessionem peccatorum testatur Magister Sententiarum (*a*), ubi proposita quæstione, utrum sufficiat peccata confiteri soli Deo, an oporteat confiteri Sacerdoti, respondet. *Quibusdam visum est sufficere, si soli Deo fiat confessio sine judicio sacerdotali, & confessione Ecclesiæ*. Pariter Gratianus eandem quæstionem proponit (*b*), & allatis hinc inde rationibus subdit: *Cui autem harum potius adhærendum sit, lectoris judicio reservatur; utraque enim fautores habet sapientes & religiosos viros*. His jungatur Scotus, qui (*c*), etsi fateatur sacramentalem Confessionem fuisse a Christo institutam, tamen negat ex hoc inferri, quod sit necessaria de jure divino. Ergo &c.

Ad I. ℟. Chrysostomum allatis locis non negare necessitatem confessionis privatæ, sed tantum publicæ; licet enim dicat soli Deo faciendam esse confessionem, hoc non excludit personam Sacerdotis vices Dei gerentis; apud Græcos enim familiare est, ut, quæ fiunt ab homine nomine Dei, a Deo solo fieri dicantur; & ita ex Arcudio (*d*) & Goario (*e*) Sacerdos Græcus pœnitentium auditurus confessiones ita loquitur: *Frater, cur accessisti ad Deum, & ad me? Ne quæso erubescas; non enim mihi peccata enuncias, sed Deo, apud quem consistis*. Imo ipse Chrysostomus hunc loquendi modum usurpat, dum de Eucharistia inquit (*f*) *hanc hominem non operari, atque in ea solum Christum manus extendere*. Adde, quod pluries ipse hortatur peccatorem ad vincendam verecundiam, quam subit in confessione peccatorum. Supponit igitur con-

(a) *Lib. 4. dist.* 17.
(b) *Cap.* Quamvis plenitudo *de Pœnit. dist.* 1
(c) *In 4. dist.* 17.
(d) *Lib. 4. concord.*
(e) *In Euchol.*
(f) *Homil.* 50. *in Matt. al.* 31. *n.* 2.

confessionem homini fieri; in hac enim sola, vel saltem in hac precipue persentitur verecundia. Addunt aliqui Chrysostomum posse explicari de remissione peccatorum, quæ obtinetur per contritionem, & per hoc, quod peccator talem se agnoscat & confiteatur coram Deo. Hoc autem non excludit necessitatem confessionis, cum contritio non justificet nisi cum voto Sacramenti, adeoque ejusdem confessionis.

Ad II. ℟. Nyssenum solum asserere, quod nulla sit statuta canonica pœna avaris per publicam Pœnitentiam luenda. Cæterum tantum abest, ut neget præceptum confessionis pro peccatis avaritiæ, ut potius expresse illius necessitatem adstruat, dum subdit præstari medicamentum morbo avaritiæ, *dummodo avarus per enunciationem aperiat peccatum suum Sacerdoti*,

Ad III. ℟. S. Ambrosium non asserere, quod sufficiant lacrymæ ad delenda crimina occulta absque confessione, sed solum quod ipsæ (idest dolor) etiam illa crimina deleant, quorum magis homines pudet.

Ad IV. ℟. Bedam innuere pro quibusdam publicis delictis, quæ pœnas Ecclesiasticas etiam externas secum trahunt, necessario recurrendum esse ad forum externum Ecclesiæ, quæ ab iisdem pœnis absolvat: in aliis vero peccatis dicit Deum per se mundare, non quatenus non sit necessaria confessio, sed quatenus non est necesse, ut confugiatur ad forum externum Ecclesiæ. Sane Bedam pro nobis stare ostenditur ex quo expendens illa verba: *Confitemini alterutrum peccata vestra*, inquit (a): *In hac sententia illa debet esse discretio, ut quotidiana leviaque peccata alterutrum coæqualibus confiteamur . . . Porro gravioris lepræ immunditiam juxta legem Sacerdoti pandamus, atque ad ejus arbitrium, qualiter & quanto tempore jusserit, purificari curemus.*

Ad

(a) In *Epist. Jacob. cap.* 5.

Ad V. R. Magistrum per illos, quibus *visum est sufficere, si soli Deo fiat confessio*, indicare solum aliquos obscuri nulliusque nominis Scriptores, qui erronee contra communem sententiam id senserunt. Sane celebres omnes ætatis magistri Scriptores, ut sunt Bernardus, Godefridus Vindocinensis, Theobaldus Stampensis, Petrus Cellensis, Robertus Pullus, Petrus Blesensis, Petrus Pictaviensis &c. pro necessitate confessionis steterunt. Qui ergo a magistro commemorantur, non potuerunt esse nisi Scriptores nullius nominis. Prætérea ita loquitur Magister, ut istorum sententiam neque videatur probabilem existimare, cum contrariam (idest nostram) censeat indubitabilem; ita enim concludit: (a) *Ex his aliisque pluribus indubitanter ostenditur oportere Deo primum, & deinde Sacerdoti offerre confessionem, nec aliter posse perveniri ad ingressum Paradisi, si adsit facultas.* Quod spectat ad Gratianum respondent plures ipsum hoc loco non esse attendendum, cum incohærenter locutus sit: primo enim adductis hinc inde rationibus, tam scilicet pro necessitate confessionis, quam contra illam, dicit verbis supra in objectione adductis utramque sententiam probabili auctoritati niti, postea vero sententiam negantem talem necessitatem veluti improbabilem rejicit, cum infra dicat: (b) *Quæ in assertione hujus sententiæ dicta sunt, partim veritate nituntur, partim pondere carent; sine contritione etenim cordis nullum peccatum posse dimitti, occulta vero peccata secreta satisfactione, publica quoque manifesta Pœnitentia expiari debere firmissima constat ratione subnixum. Porro sine confessione oris, si facultas confitendi non defuerit, aliquod grave deli-*

(a) *Ibidem.*
(b) *Cap.* Quis aliquando. *de pœnit. dist.* 2.

delictum expiari auctoritati penitus probatur adverſarium. Antonius Auguſtini ob eandem rationem putat plura hoc loco fuiſſe Gratiano ſuppoſita. Alii, & quidem ut puto probabilius, dicunt Gratianum loqui de quæſtione tunc vigente, utrum peccata deleantur per confeſſionem & abſolutionem Sacerdotis, an vero ſint antecedenter deleta ex vi contritionis; cum enim plures eo tempore contenderent requiri ad Sacramentum Pœnitentiæ perfectam contritionem, plures conſequenter docebant hujus vi antecedenter ad confeſſionem peccata deleri, aliis tamen contrarium ſentientibus. Sed hæc quæſtio intactam relinquit neceſſitatem confeſſionis; & illi enim, qui putabant antecedenter ad confeſſionem per ſolam contritionem deleta eſſe peccata, confeſſionem ipſam adſtruebant neceſſariam ad ſatisfaciendum divino præcepto. Ubi etiam adverto SS. Thomam & Bonaventuram concedere ante Lateranenſe IV. & Tridentinum, a quibus clara definitio habita eſt neceſſitatis confeſſionis, aliquos etiam non ignobiles Doctores ſenſiſſe oppoſitum, ut in aliis quæſtionibus accidit, antequam expreſſe ab Eccleſia definirentur: quod ſi ſubſiſtit, poteſt aliam tum Magiſtro, tum Gratiano reſponſionem ſuppeditare. Scotus tandem negat non neceſſitatem confeſſionis, ſed illam ex præciſa Chriſti inſtitutione inferri; non enim, inquit Scotus, valet hoc argumentum: *Confeſſio eſt inſtituta a Chriſto. Ergo eſt neceſſaria jure divino:* ſicut nec tenet hoc*: Sacramentum Ordinis eſt inſtitutum a Chriſto. Ergo eſt neceſſarium* (ſingulis) *de jure divino*.

Obj. ex ratione. I. Si adeſſet præceptum divinum confeſſionis, melioris conditionis fuiſſent Judæi in lege veteri, quam nos ſimus, cum ipſi abſque confeſſione peccatorum veniam potuiſſent obtinere. Ergo &c.

II. Ex hoc præcepto multa ſequerentur inconvenientia, puta quod homines aſſiduis anxietatibus eſſent ſubjecti, ne ſufficienter propria pec-

cata

cata expressissent: quod tenerentur actiones turpes, & quarum recordatio est maxime periculosa, ad memoriam revocare: quod ipsi Confessarii subinde in luto istorum peccatorum deberent versari. Ergo &c.

Ad I. ℞. non obstante, quod non viguerit in lege veteri præceptum confessionis, nos esse melioris conditionis, quam fuerint Judæi, tum quia quædam tunc ad expianda peccata requirebantur sacrificia, quæ aliquatenus erant confessione difficiliora, tum quia, licet concederetur modum reconciliationis tunc fuisse absolute faciliorem, adhuc si considerentur auxilia, quæ nunc conferuntur, & comparentur auxiliis, quæ conferebantur tunc, cum hæc illa sint multo abundantiora, fit, quod expeditiores sint modo homines ad faciendum, quod est difficilius, quam essent tunc ad faciendum, quod erat facilius. Ergo &c

Ad II. ℞. nullum adductorum absurdorum ex confessione sequi: non primum, quia, cum Christus contentus fuerit morali diligentia, quam solent adhibere homines in negotiis gravis momenti, qui sibi videtur illam posuisse, vanam anxietatem abigere debet: non aliud, quia nec ipsi pœnitentes, nec Confessarii maculantur cogitatione criminum, de quibus agere debent, cum hæc cogitatio ad illa tollenda ordinetur; præsertim cum & Confessarii & ipsi pœnitentes in materia periculosa discreta explicatione contenti esse debeant juxta illud vulgatum: *Ne sis nimius in sexto*.

ARTICULUS TERTIUS.

Videndum modo quinam & quando obligentur præcepto confessionis. Præceptum igitur divinum de confessione obligat omnes & solos baptizatos utentes ratione, & in mortale actuale lapsos, ut docet Tridentinum (*a*). Obligat autem in

(a) *Sess. 14. cap. 5.*

in articulo vel periculo mortis, & idcirco S. Pius V. juſſit, ut juramentum exigeretur a Medicis, antequam acciperent gradum Doctoratus, quod monituri eſſent infirmos, ut confiterentur, & non eſſent illos viſitaturi ultra tertiam diem, niſi conſtaret de confeſſione facta per fidem in ſcriptis. Hanc tamen conſtitutionem Doctores interpretantur, ut ſufficiat relatio confeſſionis habitæ facta a perſona fide digna, & ut non teneantur Medici ad hanc monitionem, niſi infirmitas ſit gravis, vel ſit morale periculum, quod gravis fiat. Præterea preceptum hoc divinum confeſſionis obligat conſtitutum in lethali, ſi velit ſumere Euchariſtiam. Obligat etiam probabilius præter has circumſtantias aliquando in vita.

Quoniam autem non eſt definitum tempus, quo obligat præceptum divinum confeſſionis, idcirco Eccleſia præſcripſit, ut fideles confiterentur ſemel in anno. Ita ſtatutum eſt in Lateranenſi IV. (*a*) loco adducto, ubi de Euchariſtia. Hoc præceptum, nec ut eſt Eccleſiaſticum, urget determinate in Paſchate, ut urget præceptum de Euchariſtia, ſed poteſt ei ſatisfieri etiam alio tempore: licet per accidens poſſit obligare in Paſchate ad ſatisfaciendum præcepto Communionis. Imo per accidens poteſt quis obligari ad duplicem confeſſionem intra annum, ſi nempe ante Paſcha confeſſus ſit, & tempore Paſchali habeat lethale, quod per confeſſionem tollendum ſit ut poſſit ſatisfieri præcepto Communionis. Tenentur hoc præcepto omnes fideles, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerint, ſub iiſdem pœnis, quibus ſubjiciuntur non obedientes præcepto Communionis. Ubi etiam noto non ſatisfieri tali præcepto per confeſſionem ſacrilegam ob eaſdem proportionaliter rationes, ob quas dixi nec ſatisfieri præcepto annuæ Communionis per Communionem ſacrile-

(a) *Cap.* Omnis utriuſque ſexus.

legam: & hinc merito damnata est ab Alexandro VII. propositio: (*a*) *Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit precepto Ecclesiæ*. Sed jam de confessionis materia.

ARTICULUS QUARTUS.

Cum materia confessionis sint peccata post Baptismum commissa, statim exurgit difficultas, an peccatum pravæ susceptionis Baptismi, sive peccatum in eo consistens, quod quis culpabiliter indispositus suscipiat Baptismum, sit materia confessionis. Cui difficultati occurritur dicendo probabilius esse; nam hoc peccatum est Baptismo posterius si non tempore, saltem natura, quatenus nequit intelligi peccatum pravæ susceptionis Baptismi, nisi ipse Baptismus præintelligatur.

Materia autem confessionis generaliter quadruplex est; alia enim est necessaria & sufficiens, alia necessaria, sed non sufficiens, alia sufficiens, sed non necessaria, alia nec sufficiens, nec necessaria. Ad primam spectant mortalia certa non antea rite manifestata, ad secundam mortalia dubia non antea manifestata, ad tertiam venialia certa, vel mortalia alias rite manifestata, ad quartam venialia dubia, vel mortalia pariter dubia, & alias rite manifestata. De prioribus duabus classibus his ex professo agam, & ex his, quæ circa eas dicentur, apparebit quid dicendum circa posteriores.

Adest igitur obligatio confitendi omnia mortalia certa non antea rite manifestata. Ita Tridentinum inquiens: (*b*) *Si quis dixerit in Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino confiteri omnia & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti premeditatione habeatur, etiam*

(a) 14. (b) *Sess.* 14. *Can.* 7.

etiam occulta, & quæ sunt contra duo ultima Decalogi præcepta, & circumstantias, quæ speciem peccati mutant, sed eam confessionem tantum esse utilem ad erudiendum & consolandum pœnitentem, & olim observatam fuisse tantum ad satisfactionem canonicam imponendam, aut dixerit eos, qui omnia peccata confiteri student, nihil relinquere velle divinæ misericordiæ ignoscendum, aut demum non licere confiteri peccata venialia, anathema sit.

Cum autem fieri possit, ut quis habens mortalia certa non antea rite manifestata, non tamen omnia possit hic & nunc manifestare, vel quia illorum non recordatur, vel quia adest rationabile motivum aliquod reticendi, hinc integritas confessionis duplex distingui solet, *materialis* nimirum, & *formalis*. Prima habetur, cum pœnitens manifestat omnia peccata, quæ habet in anima, secunda cum manifestat omnia peccata, quæ & physice & moraliter potest manifestare. Dixi *& physice & moraliter*; nam nedum impotentia physica, ut esset E. G. in moribundo, qui loqui non possit, sed & moralis, idest maximum incommodum excusat ab enumeratione lethalium. unde in his casibus tacens aliqua, dummodo enunciet ea, pro quibus nullum ex his impedimentis adest, facit confessionem integram formaliter, adeoque sufficientem.

Hic autem non abs re erit enumerare casus saltem principaliores, quibus pœnitens excusatur ab integritate materiali confessionis. Horum aliqui se tenent ex parte pænitentis, aliqui ex parte Confessarii. Ex parte pœnitentis excusat primo ignorantia, seu oblivio peccatorum inculpabilis: secundo impotentia physica, puta quia pœnitens vel est mutus, vel balbutiens, & ideo omnia necessaria exprimere nequit, vel est infirmus, & nimis defatigaretur in tali explicatione, vel tandem est in periculo mortis, & timetur, ne mors superveniat ante completam confessionem: tertio excusat impotentia moralis, ut si

prudenter timeatur ex confessione integra grave damnum vel spirituale, vel temporale, puta si timeatur, ne pœnitens infametur a Confessario frangente sigillum, vel si pœnitens cohabitans cum Confessario sit pessime ab ipso tractandus &c. Ubi tamen noto hoc solum valere, si alius Confessarius non possit adiri, ex quo hæc incommoda non timeantur; secus enim hæ causæ non amplius excusant. Noto pariter non excusare ab integritate materiali timorem infamiæ subeundæ apud Confessarium, cum hæc sit confessioni intrinseca. Excusatur etiam ab integritate materiali, qui peccatum manifestando frangeret sigillum sacramentale, quia strictius hoc obligat, quam illa.

Ex parte Confessarii excusatur pœnitens ab integritate materiali, si prudenter ejusdem Confessarii mors timeatur, aut loquelæ defectus ante completam confessionem: si Confessarius timeat ex diuturna confessione periculum mortis E. G. ob pestem: si hic ex integritate confesssonis timeat sibi periculum proximum spirituale, puta ob interrogationes quoad speciem & numerum in peccatis luxuriæ: quæ omnia semper sunt intelligenda in hypothesi, quod non adsit alius Confessarius.

Ubi etiam noto non excusare ab integritate materiali magnum pœnitentium concursum; damnata est enim ab Innocentio XI. propositio: (a) *Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos ratione magni concursus pœnitentium, qualis E. G. potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis aut indulgentiæ*. Noto rursus teneri pœnitentem cessante causa excusante ab integritate confessionis materiali peccata omissa subjicere clavibus, cum tunc urgeat præceptum inte-

(a) 59.

integritatis materialis: & hinc damnata eſt ab Alexandro VII. propoſitio: (a) *Peccata in confeſſione omiſſa ſeu oblita ob inſtans periculum vitæ, aut ob aliam cauſam non tenemur in ſequenti confeſſione exprimere.* Tandem noto quod, ſi quis in confeſſione lethalium, quam Communioni præmiſit, oblitus ſit alicujus lethalis, cujus recordetur ante Communionem, ex communiſſima tenetur etiam iſtud, antequam communicet, confiteri; id enim ſuadet fidelium praxis & ſenſus, quæ ante Communionem exigunt confeſſionem omnium lethalium, quæ poſſunt manifeſtari, ut in caſu eſt oblitum.

Ad habendam integritatem confeſſioni neceſſariam requiritur diligens examen, quod quidem debet eſſe proportionatum circumſtantiis perſonæ, quæ vult confiteri, tempori, quod tranſiit ab ultima confeſſione, circumſtantiis itidem, in quibus pænitens verſatus eſt &c.; unde examen vel majus vel minus pro iſtarum circumſtantiarum varietate requiritur. Tale porro requiritur examen, quale in negotiis magni momenti ſolet adhiberi, unde nec leviſſima diligentia ſufficit, nec extraordinaria exigitur, imo nec eſt conſulenda, cum ſæpe nimiam anxietatem pariat, & odioſam reddat confeſſionem. Poteſt tamen ſuppleri defectui examinis ab interrogationibus Confeſſarii. Si ex negligentia gravi in exàmine peccatum grave reticeatur, confeſſio per ſe loquendo erit ſacrilega, niſi excuſet inadvertentia.

Explicanda ſunt in confeſſione omnia mortalia certa quoad numerum, ſpeciem, & circumſtantias mutantes ſpeciem. Quæ pertinent ad numerum, ſpeciem, & circumſtantias ſpeciem mutantes, jam attuli in tractatu de peccatis. Hic adverto controverſum eſſe, utrum teneamur in confeſ-

F 2

(a) 11.

fessione manifestare circumstantias non mutantes quidem speciem, sed tantum notabiliter aggravantes peccatum intra eandem speciem, ut esset E. G. respectu odii diuturnitas temporis, quo quis in eodem odio versatus est, respectu occisionis modus valde crudelis, quo quis alterum occidit &c. Plures sustinent non adesse hanc obligationem, plures alii sustinent adesse. Cum posterioribus sit

Assertio. *Tenemur in confessione lethalium manifestare circumstantias notabiliter aggravantes peccatum intra eandem speciem.*

Prob. ex Catechismo Romano jussu Tridentini & S. Pii V. edito, qui ait (*a*): *Neque vero solum peccata gravia narrando explicare oportet, verum etiam illa, quæ unumquodque peccatum circumstant, & pravitatem valde augent vel minuunt*: & quod loquatur nedum de circumstantiis mutantibus speciem, sed etiam da aggravantibus intra eandem speciem, patet exemplo, quod subdit, nimirum duorum furtorum, quorum alterum sit unius aurei, alterum centum aureorum, quæ certe sunt intra eandem speciem: & postea subdit: *Hæc igitur, ut diximus, enumeranda sunt, quæ vero pravitatem rei magnopere non augent, sine crimine omitti possunt*. Ergo &c.

Prob. ratione, & I ex officio Confessarii, qui est & judex, & medicus; ut judex enim debet judicare de gravitate criminis, & proportionatam illi imponere Pænitentiam, quod etiam docet Tridentinum (*b*): ut medicus tenetur opportuna remedia suggerere pænitenti. Ad utrumque autem est necessaria cognitio circumstantiarum notabiliter aggravantium, cum hæc notabiliter varient judicium Confessarii circa peccata, adeoque ipsi ostendat majorem, vel minorem Pænitentiam esse im-

---

(a) *De Pœnit. cap.* 9.
(b) *Sess.* 14. *cap.* 5.

imponendam, hanc vel illam medicinam esse suggerendam; diversa enim requiritur Pænitentia pro eo, qui simpliciter E. G. occidit inimicum, ac pro eo, qui præterea occidit modo crudeli, ut secando per partes, illum igne torrendo &c.; diversa pariter medicina ei, qui graviori morbo laborat, ac qui laborat minus gravi, est suggerenda. II. circumstantia notabiliter aggravans subinde facit, ut unum peccatum æquivaleat pluribus peccatis numero distinctis, ut E. G. odium inimici continuatum per plures horas æquivaleat pluribus actibus odii, qui essent moraliter distincti (ut pote sæpius retractati), & durarent per idem tempus. Ut ergo numerum istorum tenemur explicare, ita illam circumstantiam. III. aliquando circumstantia aggravans auget peccatum coram Deo magis, quam circumstantia mutans speciem; majus enim est E. G. peccatum, si extra locum sacrum furer mille aureos, quam si in loco sacro furer quatuor. Si ergo in hoc secundo casu circumstantia loci sacri utpote mutans speciem debet manifestari, ita in primo. Et ratio illationis est, quia non est manifestanda mutans speciem, quia præcise exurgit alia peccati species, sed quia, cum hæc exurgit, exurgit pariter malitia notabiliter alia a priore. Sed hoc etiam verificatur in casu. Ergo &c.

Obj. ex Tridentino, quod tradens doctrinam de Sacramento Pœnitentiæ docet quidem manifestandas esse circumstantias mutantes speciem, sed de circumstantiis notabiliter aggravantibus nihil dicit. Ergo non adest obligatio eas manifestandi, alias illam Concilium indicasset.

℟. Tridentinum abstinuisse ab imponenda expresse hac obligatione, ne definiret quæstionem inter Catholicos vigentem. Cæterum modo loquendi, quam adhibuit circa circumstantias mutantes speciem jecit fundamenta nostræ sententiæ; cum enim dicat circumstantias mutantes speciem esse manifestandas, ut Confessarius cognoscat quantitatem criminis & proportionatam pro illis Pœnitentiam imponat, quæ rationes militant etiam

pro circumstantiis solum notabiliter aggravantibus, primam obligationem imponendo etiam posteriorem indicasse videtur.

Obj. ex ratione, & I. praxim Confessariorum & pænitentium, qui non sunt solliciti de circumstantiis aggravantibus, sicque non sunt solliciti, ut explicetur E. G., utrum intensio actus fuerit major vel minor, utrum major vel minor fuerit duratio, præsertim cum hæc sint difficillima, quæ cognoscantur.

II. Si deberent manifestari circumstantiæ notabiliter aggravantes, deberent etiam manifestari notabiliter minuentes, cum pro istis militent eædem proportionaliter rationes, quæ militant pro prioribus. Hoc non. Ergo &c.

Ad I. R/. Praxim timoratorum potius stare pro nobis: quod si alii contrarium agunt, id oritur ex probabilitate alterius sententiæ juxta infra dicenda. Difficultas, quæ adstruitur in cognoscendis circumstantiis notabiliter aggravantibus, nihil evincit; nam sæpe major est difficultas in cognoscendis circumstantiis mutantibus speciem, & tamen has per omnes tenemur manifestare. Quod si maxima esset difficultas in iis cognoscendis & explicandis, per accidens excusaremur, cum teneamur ad id, quod moraliter possumus.

Ad II. R. et hoc concedendo saltem pro casu, quo circumstantia notabiliter minuens vel mutet speciem peccati, vel istud transferat de mortali in veniale. Sed adverto circumstantias notabiliter minuentes subinde saltem implicite manifestari eo ipso, quod non manifestantur notabiliter aggravantes.

Hic tandem noto Cardenam cum aliis docere (aliis tamen repugnantibus) quod, cum sententia contraria sit probabilis, potest illam pænitens sequi etiam in praxi (saltem si ipsi sit probabilior opposita), quin obstet damnatio facta ab Innocent. XI. propositionis primæ; nam inquiunt licet confessio spectet ad valorem Sacramenti, non tamen ad illum spectat confessio materialiter integra, sed

tan-

tantum integra formaliter. Etsi autem vera esset sententia supra propugnata, cum tamen hoc sit controversum, rigorose loquendo ignoratur, an adsit hæc obligatio: & in casu talis ignorantiæ si reticeatur circumstantia, salvatur integritas formalis, quomodo salvatur si reticeatur peccatum, quod licet vere commissum sit, de illo tamen pœnitens non recordatur; nam, ut inquit Lugo, perinde est non recordari alicujus peccati, & ignorare obligationem illud confitendi. Quod in similibus quoque aliis dictum volunt.

Noto etiam, quod, licet aliqui, ut dixi, velint non esse manifestandas circumstantias notabiliter aggravantes, communiter tamen Theologi docent nos teneri peccatum explicare secundum individuationem suam, si hæc speciali modo participet malitiam specificam peccati, ut E. G. licet tactus impudici & copula carnalis sint in eadem specie peccati contra castitatem, non tamen sufficienter explicat peccatum, qui habuit copulam, explicando solos tactus; unde merito damnata est ab Alexandro VII. propositio (a): *Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit confessionis præcepto dicens: commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem non explicando copulam*. Ex quo etiam deducunt, quod, qui peccavit nedum per actum internum, sed & per externum, tenetur nedum illum, sed etiam hunc aperire, quia externus diverso modo participat malitiam specificam peccati, ac mere internus.

Noto insuper certum esse, quod pœnitens a Confessario interrogatus tenetur fateri consuetudinem, quam habet peccandi; hoc namque expresse definitum est ab Innocentio XI per damnationem propositionis (b): *Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem*.

(a) 25. (b) 58.

dinem. Jure autem damnata est hæc propoſitio; nam Confeſſarius habet jus ea cognoſcendi, quæ ſpectant ad rectam Sacramenti adminiſtrationem. Tenetur ergo pœnitens ea Confeſſario interroganti manifeſtare. Inter hæc autem eſt conſuetudo peccandi. Ergo hanc tenetur pœnitens interrogatus manifeſtare. Accedit, quod alias poſſet pœnitens per quinquaginta E. G. annos ſingulis diebus ex habitu peccare, & ſingulis diebus peccatum confiteri, dicendo ſe ſemel peccaſſe, quod eſt abſurdum.

Quamvis autem ex hoc ſequatur, quod peccatum aliquod bis manifeſtetur, hoc evenit per accidens, ut evenit in aliis caſibus, puta cum quis poſt confeſſionem peccati, quo cognovit ſororem uxoris ſuæ, petit debitum ab eadem uxore; non enim poteſt hoc ſecundum peccatum manifeſtare, niſi & primum manifeſtet. Hanc obligationem reſpondendi ad interrogationem Confeſſarii agnoſcunt Doctores, etiam cum agitur de occaſione proxima.

At teneturne habituatus etiam non interrogatus a Confeſſario aperire peccandi conſuetudinem?

Reſpondet Viva ex Lugo duplicem eſſe conſuetudinem, alteram, quæ inducit ad peccandum cum advertentia, adeoque formaliter, alteram, quæ ad peccandum inducit ſine advertentia, adeoque materialiter tantum. Hanc poſteriorem tenetur habituatus etiam non interrogatus aperire, quia totum peccatum in ea conſiſtit, quatenus ſcilicet tametſi actus, ad quos inducit, non ſint peccaminoſi, ut ſupponitur, ipſa tamen libere eſt volita, cum non adhibeantur media neceſſaria ad eam tollendam. Priorem autem tenetur ſolum aperire, cum advertit ſe per illam conſtitutum in proximo peccandi periculo, & inter illam & peccatum, ad quod inducit, intercedit notabile tempus, aut iſtud peccatum revera non committitur; tunc enim, ut patet, conſuetudo eſt peccatum diſtinctum a peccato, ad quod inducit; ſecus autem

rem, ſi per illam non conſtituatur proximam peccandi periculum, aut etſi conſtituatur, ſit ita conjuncta cum ipſo peccato, ad quod inducit, ut moraliter faciat quid unum cum illo; tunc enim ſufficienter exprimitur utrumque peccatum manifeſtando peccatum illud, ad quod induxit conſuetudo, cum quo facit unum moraliter illud aliud, quo ſe expoſuit periculo peccandi, vel illud non removit.

Quidquid tamen ſit de his rationibus, difficile mihi videtur, quod pœnitens non interrogatus a Confeſſario aliquando deobligetur a manifeſtanda conſuetudine; hæc enim manifeſtatio neceſſaria videtur ad rectam Sacramenti adminiſtrationem per Confeſſarium faciendam; diverſum enim judicium hic efformat circa conſuetudinarium, ac circa illum qui talis non eſt: diverſa quoque remedia conſuetudinario ſuggerere debet, ac non conſuetudinario. Ultro ergo exponenda eſt conſuetudo, ut hæc omnia Confeſſarius præſtare poſſit. Quæ eadem ratio proportionaliter militat etiam pro conſtituto in occaſione proxima.

Controvertitur, utrum, cum requiritur ad explicandam conditionem peccati, teneamur ſemper manifeſtare complicem. Et ut ſtatus quæſtionis intelligatur, finge, quod pater inceſtum commiſerit cum filia; cum ad manifeſtandum hoc peccatum neceſſe ſit manifeſtare circumſtantiam hanc filiæ complicis, quæritur, utrum Pænitens teneatur illam manifeſtare. Conveniunt primo omnes in hoc, quod ſi poſſit haberi Confeſſarius, cui ignota ſit perſona complicis, teneatur pænitens illum adire, & complicem manifeſtare. At ſi non adſit niſi Confeſſarius, qui complicem agnoſcat, aliqui putant non teneri pœnitentem ad revelandum complicem, ut vitetur ipſius infamia. Sed communius & probabilius exiſtimatur teneri; nam ex una parte adeſt juſta cauſa infamandi complicem, nimirum integritas confeſſionis: ex alia complex committendo peccatum ceſſit juri ad famam apud Confeſſarium alterius complicis, cum ſciret hunc

teneri ad manifestandum peccatum, ut commisit. Adde, quod infamia, quam subit complex apud Confessarium personam prudentem & taciturnam, non est grave damnum, vel saltem tale, ut præponderare debeat damno resultanti ex confessione non integra. Et sane sicuti pœnitens tenetur procurare integritatem confessionis cum propria infamia, ita tenetur in casu cum aliena. Ergo &c.

Advertendum tamen Benedictum XIV. duas edidisse constitutiones (*a*), quibus prohibet districte Confessariis, ne exquirant nomen complicis, & ubi habitet, & multo magis ne denegent pœnitenti absolutionem nisi complicem hoc modo revelare voluerit; qui enim docuerit licere hujusmodi praxim, ibi subjicitur ipso facto excommunicationi Papæ reservatæ: qui vero hoc fecerit, dummodo non potius ex simplicitate hoc fecerit, quam ex adhæsione ad hanc praxim tanquam licitam, etsi postea hoc fecerit ad finem procurandæ complicis correctionis, aliorumque bonorum obtinendorum, decernitur Sacræ Inquisitioni denunciandus ab eo, qui hoc cognoverit, nisi ille sit ipse pœnitens, cujus complicem in in peccato, quod confessus est, Confessarius requisivit. Non tamen hic prohibetur exquirere conditionem complicis, quando hujus conditionis cognitio necessaria est ad integritatem confessionis, ut E. G. in incæstu an complex sit in primo, an in secundo gradu, etsi ex hoc individuetur ipse complex

Extra casum hunc poterit sane aliquando Confessarius obbligare pœnitentem ad manifestandum complicem etiam individualiter, si nempe ex non manifestatione sequeretur grave damnum proximo, quod posita tali manifestatione posset impediri, & tunc, si ipse pœnitens nolit complicem mani-

(a) 1. Incipit *Suprema omnium Ecclesiarum* Vol. 1. Bullarii 2. *Ubi primum* volumine 2.

manifeſtare, ei deneganda eſt abſolutio utpote indiſpoſito, ex quo nolit impedire damnum, ad quod impediendum ſub gravi tenetur. At Confeſſarius in caſu debebit ipſum adigere ad manifeſtandum complicem alteri, qui poſſit hoc damnum impedire, non vero ſibi, ne confeſſio reddatur odioſa, niſi forte ipſe ſolus Confeſſarius poſſit hoc damnum impedire, quo caſu multa opus eſt prudentia in ipſo, ne ſigillum frangat, aut odioſum reddat ſuum miniſterium. Si vero ſponte pœnitens manifeſtet complicem, ut Confeſſarius ipſum corrigat, ordinarie expediet ob eaſdem rationes, ut Confeſſarius tale onus non aſſumat.

Rurſus controvertitur, utrum teneamur explicare in confeſſione effectum peccati. Probabilius non tenemur per ſe loquendo; nam per ſe effectus peccati non eſt peccatum, alias poſſet aliquis peccare neceſſario, ut contingeret in eo, qui alteri propinavit venenum, ex quo ſequitur mors; fieri enim poteſt, ut hic alter non moriatur niſi poſt menſem, & interim prior retractaverit peccatum, & fecerit, quod potuit, ſed fruſtra ad impediendum effectum veneni, quo caſu cum mors ex veneno ſequitur, non eſt, ut patet, priori voluntaria. Sufficit ergo in caſu, ſi pœnitens ſe accuſet de poſitione cauſæ. Dixi *per ſe loquendo*; nam aliquando per accidens tenemur effectum peccati manifeſtare, ut E. G. cum reſervatio vel cenſura apponitur effectu ſecuto, ut contingit reſpectu homicidii voluntarii in hac Diæceſi, vel cum agitur de reſtitutione facienda, imo ſubinde expedit effectum ſecutum explicare, ut magis intelligatur perverſitas voluntatis, & efficacia actus peccaminoſi. Nec dicas: manifeſtandus eſt actus externus, licet non formaliter liber & peccaminoſus. Ergo a pari etiam effectus peccati licet non formaliter liber & peccaminoſus; nam diſparitas eſt, quod, ut notat Lugo, actus externus eſt vere peccatum quamvis denominative ab actu interno, quem complet in eſſe

peccati, e contra effectus peccati per se non est vere peccatum, aut complementum peccati, sed accessorium peccati jam completi. Ergo &c.

Sed jam de confessione mortalium certorum haud plura. Modo de mortalibus dubiis.

Circa hæc plures Probabilistæ ita procedunt. Dupliciter, inquiunt, potest dubium contingere: primo potest quis esse certus de peccato, & dubius de confessione, & tunc ad ipsam tenetur, quia illius præceptum est certum & in possessione, unde præponderat satisfactioni incertæ, quæ sola habetur in casu: secundo potest dubitare, utrum vere peccaverit, & hoc dubium potest tripliciter contingere: primo possunt esse rationes graves tum dicendi, quod peccaverit, quam dicendi, quod non peccaverit: secundo possunt esse rationes graves, licet non certæ, dicendi, quod peccaverit, absque gravi ratione dicendi, quod non peccaverit, vel e contra: tertio potest nulla esse gravis ratio dicendi peccatum vel esse commissum, vel non esse. In primo casu non tenemur confiteri peccatum, cum juxta illorum rationes alibi allatas quilibet possit se conformare opinioni probabili, & multo magis si probabilius peccatum non sit commissum, aut si adsit gravis ratio dicendi, quod peccatum non sit commissum, & nulla sit gravis ratio in contrarium. Si vero adsit gravis ratio dicendi, quod peccatum sit commissum, & nulla adsit gravis ratio dicendi, quod non sit commissum, tenetur pœnitens confiteri quia aliter non se conformat ulli judicio probabili. In postremo casu non tenetur confiteri; nam si deobligatur a confessione peccati scrupulosus, cum ex inanibus motivis putat se illud commisisse, a fortiori deobligabitur, qui nullum motivum habet dicendi se peccasse. Quidquid tamen sit speculative loquendo de hac doctrina, omnino in praxi manifestanda sunt peccata gravia dubia, si dubium prudens sit; nam hoc suadet antiquissima Ecclesiæ consuetudo. Dixi *si dubium prudens sit*; nam si de peccato patrato ha-

habeatur solum dubium imprudens, valebit quod posteriori loco dictum est de eo, qui nullum habet motivum dicendi se peccasse. Cum tamen confessus fuisti ut dubium, si postea venias in cognitionem te certo illud commisisse, debes illud confiteri ut certum.

Ubi adverto esse probabile, quod, cum dubium non cadit supra substantiam peccati, sed supra numerum, & numerus expressus in dubio parum distat a numero vero, si istius postea pœnitens recordetur, non teneatur eundem verum numerum exprimere. Suppone E. G. quod Petrus ita confessus sit: decies circiter blasphemavi, quo casu undecimam blasphemiam sub dubio manifestat, & postea hanc certo cognoscat: est probabile, quod non teneatur ipsam ut certam accusare, cum tamen teneretur, si dubium cecidisset supra substantiam peccati, ut si dixit: *forsitan blasphemavi*. Ratio est, quod longe aliter judicat Confessarius de peccato dubio, ac de certo quoad substantiam & speciem, cum e contra parum distet ejusdem Confessarii judicium circa decem peccata a judicio circa decem & unum in eadem specie. Præterea in hoc posteriori casu, quamvis possit Confessarius dubitare, ne pœnitens peccaverit pluribus vicibus, quam exprimat, ut in casu 11. vicibus, potest tamen etiam dubitare, utrum peccaverit paucioribus vicibus, sicque in casu novies, unde pœnitens sic peccatum confitendo aliquatenus sibi nocet: favor autem hic & nocumentum hoc se mutuo compensant; e contra cum pœnitens accusat substantiam peccati sub dubio, favor, qui per talem dubiam accusationem ipsi provenit, per nullum nocumentum compensatur. Ergo &c.

Remanet tandem, ut aliquid dicatur de mendacio, quod forte in confessione proferatur a pœnitente.

Circa hoc ita possumus distinguere. Vel mendacium est extrinsecum materiæ confessionis, vel ad eamdem materiam pertinet. Si primum subdi-

distinguendum: vel hoc est in se grave, vel leve. Si grave, graviter pariter peccatur tum ratione mendacii, quod grave supponitur, tum ratione sacrilegii, quod admittitur invalidando Sacramentum. Si leve, leviter tantum peccatur, tum quia mendacium in se leve est, tum quia adhuc eo posito remanent intacta essentialia ejusdèm Sacramenti. Si vero mendacium est intrinsecum ipsi confessioni, vel est in materia confessioni necessaria, vel in materia non necessaria. Si primum est peccatum grave; nam tunc in re gravi decipitur Confessarius, & invalidatur Sacramentum: & hinc graviter peccat negans mortale, quod commisit, & nunquam manifestavit, vel negans circumstantiam necessario pertinentem ad integritatem confessionis, vel qui in confessione generali accusat lethale, quod nunquam manifestaverat dicens se alias manifestasse, & etiam qui accusat grave, quod non commisit. Si vero mendacium est in materia confessioni non necessaria, ut si pœnitens neget veniale, quod revera commisit, vel mortale alias rite manifestatum, per se non erit nisi veniale, cum nec invalidetur Sacramentum, nec Confessarius in re gravi decipiatur.

CAPUT QUINTUM.

De absolutione sacramentali.

Agam hic 1. de conditione absolutionis, & assignabo quotuplex sit: 2. agam de illius effectibus.

ARTICULUS PRIMUS.

Formam absolutoriam in Sacramento Pœnitentiæ apud nos exprimi per illa: *misereatur tui* usque ad alia *præmium vitæ æternæ* omnibus notum est, quamvis non omnia hæc verba spectent ad essentiam, sed illa solum *absolvo te*, vel ad sum-

ſummum etiam illa *a peccatis*, cum per priori vel ſola, vel ſaltem conjuncta cum his poſterioribus ſignificetur effectus Sacramenti, & ſine illis non ſignificetur. (Priora ſufficere docet D Thomas, quia hæc ut prolata in foro ſacramentali ſatis ſunt determinata ad ſignificandam abſolutionem a peccatis: alia etiam requiri docuerunt aliqui antiqui, quia ſine illis forma non eſt ita determinata, & hæc ſententia ſaltem eſt tutior). Et ſane vox *ego* non eſt de eſſentia, cum contineatur in voce *abſolvo*. Multo minus eſt de eſſentia invocatio Trinitatis, cum hoc ex nullo capite eruatur: de aliis, quæ vel præcedunt vel ſequuntur, nullus unquam dubitavit, ne ſint accidentalia. Ergo &c.

Hæc forma, ut patet, eſt indicativa, & talis eſt nunc adhibenda, cum & optime exprimat actum judicialem, quem exercet Sacerdos abſolvendo, & ita præſcribatur in Tridentino dicente (a) *Sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipue ipſius vis ſita eſt, in illis Miniſtri verbis poſitam eſſe: ego te abſolvo &c.* quod idem docuerat Florentinum. Sed controvertitur, utrum forma abſolutoria poſſit eſſe deprecativa.

Negativam ſententiam ut certam aliqui docuerunt, quia forma deprecativa non exprimit ſufficienter actum judicialem, quem exercet Sacerdos abſolvendo. Sed modo res non reputatur amplius adeo certa, cum plures moderni oſtendere ſe poſſe confidant uſque ad 12. ſæculum talem formam viguiſſe apud Latinos, & inſuper viguiſſe, ac modo etiam vigere apud Græcos, quo poſito ne dicatur omnes iſtos invalide abſolviſſe aut abſolvere, contendunt formam illam validam eſſe.

Morinus & Tournely cum iſtis ſunt, & aſſertum proprium quoad Eccleſiam Latinam muniunt

(a) *Seſſ. 14. cap. 3.*

niunt tum plurimis testimoniis Patrum docentium pœnitentes absolvi per orationes Sacerdotum, tum ex Ecclesiæ monumentis usque ad seculum 12., ubi Morinus testatur se passim observasse formam deprecativam; tum tandem ex Scriptoribus 13. sæculi, qui hanc formam, etiam dicto sæculo invaluisse testantur, ut sunt Gullielmus Parisiensis, Petrus Cantor &c. Quoad Ecclesiam vero Græcam assertum muniunt tum ex antiquis ac modernis ritualibus Græcorum, in quibus hæc sola forma commemoratur, tum ex instructione Clementis VIII. super ritibus Græcorum, ubi permittitur Græcis Presbyteris, ut in casu necessitatis absolvant Latinos, dummodo adhibeant formam præscriptam in Florentino, & subditur: *Et postea, si voluerint, dicant illam orationem deprecativam, quam pro forma hujusmodi absolutionis dicere tantum consueverunt*: ubi, ut patet, asseritur Græcos consuevisse adhibere formam deprecativam.

9. tamen Berti contendit has rationes non esse invictas; dicit enim ipse nihil ex Patribus quoad hoc colligi posse, cum subinde formas Sacramentorum etsi indicativas exprimant nomine orationis & precum, ut dictum est aliquando etiam ab iis appellari formam Eucharistiæ. Dicit insuper antiqua monumenta, quibus forma deprecativa indicatur, de absolutione publicorum pœnitentium mentionem facere, non de sacramentali, de qua probabilius antiqui siluerunt ob disciplinam Arcani alibi indicatam. Rursus dicit Auctores contra adductos ideo ita fuisse locutos, quia erant in sententia, quod forma deprecativa sufficeret. Mox advertit non probari sufficienter ritualia Græca vitiata non esse, præsertim cum Menardus testetur (a) Græcos post orationem hæc verba pronunciare: *Habeo te venia donatum*, quæ sunt ipsa

(a) *in Sacrament. Gregorii.*

ipsa forma indicativo modo prolata, & in Euchologio Goarii expresse post preces habeatur forma indicativa: *Ego absolvo te &c.*, & insuper ipse Arcudius acriter insectetur formam deprecativam, quam dicit non adhiberi nisi a Græcis ignaris, cum e contra testetur in Russia, & alibi Græcos peritiores adhibere indicativam, quæ etiam legitur in ritibus Ecclesiæ Græcæ latine redditis a Georgio Fhelavio. Advertit tandem præceptum Clementis potius facere contra formam deprecatoriam, quam pro illa, cum ideo Clemens præscripserit indicativam, quia aliam insufficientem putabat.

Rationibus his sane aliquatenus priores infirmari videntur. Utrum vero satis evincant de facto nunquam viguisse usum formæ deprecatoriæ, affirmare non ausim, nec ipse Berti id affirmat contentus asserere aperte non evinci viguisse olim sive apud Græcos, sive apud Latinos usum formæ absolutionis deprecatoriæ. Quidquid sit de hoc, certum modo est, ut dixi, adhibendam esse formam indicativam.

Absolutio sacramentalis debet ore exprimi juxta omnes, qui proinde advertunt posse quidem mutum absolvi, sed non absolvere. Debet præterea ferri supra pœnitentem præsentem, aliter non verificaretur particula *te*. Præsentia hæc debet attendi moraliter, adeoque illa sufficit, qua homines ordinaria voce utentes se invicem alloquuntur. Hinc Clemens VIII. (*a*) proscripsit ad minus ut falsam, temerariam, & scandalosam propositionem dicentem *licere per litteras sive internuncium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere*. Ubi notat Viva proscriptam esse propositionem nedum in sensu copulativo, sed & disjunctivo, ita scilicet ut proscripta sit tam sola con-

---

(a) *Bulla 87. inter Clementin.*

confessio, quam sola absolutio sic habita: ita enim declaravit Paulus V in Congregatione S. Officii (a). Ratio autem hujus damnationis colligitur ex voluntate Christi nobis manifestata per sensum communem Doctorum & praxim Ecclesiæ: præterquamquod relate ad absolutionem valet etiam hæc ratio, quod si conferretur absenti, non verificaretur pronomen *te* ore prolatum. Notat pariter, quod nedum illicita, sed & invalida est confessio facta absenti, & absolutio ab absente obtenta; nam Pontifex eam declaravit illicitam pro quocumque casu, qualis non fuisset declarata, nisi etiam esset invalida; nam si valeret pro casu, quo aliter moribundo ministrari nequit Sacramentum Pœnitentiæ, in eodem casu esset licita, imo præcepta propter obligationem tunc maxime vigentem cavendi periculum damnationis. Adverto tamen hic non damnari confessionem factam per hoc, quod Sacerdoti præsenti exhibeantur scripta propria peccata, dummodo pœnitens generatim de contentis in scripto se accuset; hæc enim confessio nequit dici facta per litteras, aut internuncium absenti.

Quomodo ergo, inquies, se gerere debet Confessarius vocatus ad moribundum sensibus destitutum, qui solum ante illius adventum petiit confessionem? Cum enim petitio confessionis æquivaleat in casu confessioni, cumque de hac solum constet ex testimonio adstantium, videtur hæc confessio facta per internuncium, adeoque insufficiens ad absolutionem.

℟. In casu debere Confessarium curare, ut moribundus signa det voluntatis obtinendi absolutionem vel per tunsionem pectoris, vel per compressionem manus ejusdem Sacerdotis, vel aliter, & tunc est absolvendus absolute. Quod si nec hoc possit obtineri, absolvendus est saltem conditionate

(a) *die* 14. *Julii* 1608.

nate, quia semper sunt quædam signa æquivoca, ut esset ipsa anxia respiratio, qua non raro moribundi impotentes loqui testantur desiderium absolutionis. Præterea etiam dici potest moribundum a Confessario præsente absolutionem petere per adstantes tanquam per interpretes, unde etiam ex hoc capite confessio videtur facta Sacerdoti præsenti. Ob hæc non desunt plures, qui velint moribundum tunc absolvendum etiam absolute. Certe Clemens VIII. testibus Bellarmino & Archiepiscopo Armacano expresse testatus est se in antedicta Constitutione noluisse prohibere absolutionem moribundi in casu. Quod si quæras super quidnam directe cadat hæc absolutio, cum pœnitens nullum in specie peccatum accuset, ℟. ipsam directe cadere supra formalitatem peccati, indirecte vero super formalitatem talis vel talis peccati. Quod fit, ut si pœnitens convalescat, de illis omnibus teneatur se accusare, quia quoad formalitatem talis vel talis peccati non fuerunt directe absoluta utpote non manifestata.

Absolutio alia est *directa*, alia *indirecta*. Prima est, quæ cadit super peccata, quæ pœnitens debite confitetur, & super quæ Confessarius habet jurisdictionem: secunda quæ cadit super peccata, quæ pœnitens inculpabiliter omittit, aut super quæ Confessarius non habet jurisdictionem, si tamen absolutio directa super alia cadat. Sit exemplum. Pœnitens duobus lethalibus maculatus unum confitetur, aliud inculpabiliter omittit, absolutio directa cadit super primum (si tamen non sit reservatum), non supra secundum; nam nequit absolvi directe, quod non fuit ullo modo expositum, sed hoc absolvitur indirecte, quatenus Confessarius per absolutionem directam primi infundit pœnitenti gratiam, quæ, cum sit impossibilis cum quocumque lethali, etiam delet secundum. Idem dicendum de absolutione data ex urgenti causa juxta inferius afferenda illi, qui habet peccata & reservata, & non reservata; ab his enim absolvitur directe, ab aliis indirecte.

AR-

ARTICULUS SECUNDUS.

Contendunt Novatores, quod forma absolutoria vere non remittat peccata, sed tantum sit nudum ministerium declarandi hæc esse remissa. Hoc tamen repugnat potestati judiciariæ, quæ est in Sacerdotibus, & quæ proinde debet absolute remittere peccata, nedum declarare esse remissa. Hinc Tridentinum ait (a): *Si quis dixerit absolutionem sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronunciandi & declarandi remissa esse peccata confitenti . . . anathema sit*: & jure damnata est propositio Baji: (b) *Peccator pœnitens non vivificatur ministerio Sacerdotis absolventis, sed a solo Deo.*

At inquies: quomodo verificatur pœnitentem vere a Sacerdote absolvi, cum ipse confitetur peccatum, a quo alias est absolutus?

℟. Id verificari, quia tunc verba absolutionis vel faciunt hunc sensum: *ego tibi confero gratiam, quæ de se est deletiva peccati* (licet per accidens hic & nunc non deleat) vel hunc alium, quod *peccata iterum remittantur*, quem sensum facere possunt, etsi prius fuerint remissa, quomodo si quis a me obtinuerit veniam de injuria mihi illata, & postea iterum iterumque veniam petat, possum iterum iterumque respondere: *ego tibi ignosco*.

Ubi etiam noto verborum, quæ jam dicta præcedunt, sensum & effectum esse, quod pœnitens absolvatur a censuris non reservatis, si forte iis esset irretitus; advertendum enim absolutioni a peccatis præmittendam esse absolutionem a censuris, quæ quidem vel excedunt potestatem Confessarii, vel non. Si non, hæ tolluntur per verba jam

(a) *Sess.* 14. *Can.* 9. (b) 58.

jam dicta, modo pœnitens eas manifestet, vel si non manifestat, inculpabiliter omittat manifestationem. Si postea excedunt, Confessarius nequit, ut patet, nec ab illis, nec a peccatis absolvere. Quod si absolvat, subdistinguendum; vel enim adest mala fides tàm in Confessario, quam in pœnitente, vel bona fides in Confessario, & mala in pœnitente, vel bona fides in pœnitente, & mala in Confessario, vel bona fides in utroque. In primo casu uterque peccat graviter, & irrita est absolutio: in secundo non peccat Confessarius, sed pœnitens, & irrita pariter est absolutio: in tertio non peccat pœnitens, sed Confessarius, & absolutio irrita est quoad censuras, non quoad peccata, cum gratia sanctificans, qua hæc remittuntur, non sit incompossibilis cum censuris, nec sit incapax Sacramenti, qui innodatus censura reservata, sed tamen reservationem ignorans ponit omnia Sacramenti constitutiva: in quarto prætet peccatum Confessarii idem dicendum, ac in tertio.

Verborum vero subsequentium: *Passio Domini nostri Jesu Christi &c.* quamvis aliqui putaverint hunc esse sensum & effectum, quod elevent omnia opera bona, quæ postea fient, ut gratiam mereantur, & sint satisfactoria ex opere operato, non satis tamen id probatur, cum Tridentinum de his verbis loquens, illa addi doceat ex laudabili usu Ecclesiæ, nec aliud adjungat, adjuncturum profecto, si hunc etiam effectum producerent; & certum sit illa posse omitti, cum tamen vix omitti possent, si dictum effectum causarent.

Ex dictis patet effectum absolutionis esse remissionem reatus culpæ, quamvis non semper ex alibi visis remittatur totus reatus pœnæ: cui effectui debent etiam adnecti gratiæ sacramentales consistentes in jure ad auxilia actualia, ut caveantur in posterum peccata.

CAPUT SEXTUM.

De Ministro Sacramenti Pœnitentiæ.

Ostendam 1. solos Sacerdotes esse ministros hujus Sacramenti: mox agam de requisitis in Sacerdotibus ad valide illud ministrandum, & quoniam hæc sunt approbatio, & jurisdictio, hinc 2. agam de approbatione: 3. de jurisdictione. Cum porro jurisdictio aliquando concedatur restricta, cum scilicet reservantur peccata, ideo 4. agam de reservatione: 5. agam de muneribus Confessarii: 6. de obligatione, quam hic habet corrigendi defectus in administratione hujus Sacramenti admissos: 7. de Confessariis sollicitantibus pœnitentes ad turpia.

ARTICULUS PRIMUS.

Noto Wiclephum docuisse a laicis dummodo sanctis posse hoc Sacramentum ministrari, quod antea etiam docuerant Valdenses. Hanc etiam potestatem omnibus indiscriminatim laicis tribuerunt plures Novatores. Morinus docuit etiam Diaconos posse extraordinarie & in necessitate hoc Sacramentum ministrare. Contra hos omnes sit

Assertio. *Soli Sacerdotes sunt ministri Sacramenti Pœnitentiæ.*

Prob. ex Scripturis. Solos Sacerdotes Christus est allocutus, cum dedit potestatem remittendi peccata. Ergo &c.

Prob. ex Tridentino, ex quo superior probatio deducta est; inquit enim: (a) *Si quis dixerit non solos Sacerdotes esse ministros absolutionis. sed omnibus & singulis Christifidelibus esse dictum: quacumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo, & quæcumque solveritis super*

(a) *Sess. 14. Can. 10.*

super terram, erunt soluta & in cœlo, & quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt, quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata ..... anathema sit.

Prob. ex Patribus. S. Cyprianus docet (*a*) *remissionem fieri per Sacerdotes*: S. Basilius ait (*b*) *peccata aperienda esse Sacerdotibus, quoniam iis credita est dispensatio divinorum mysteriorum*. S. Ambrosius loquens de potestate solvendi a peccatis ait: (*c*) *Hoc jure vindicat Ecclesia, quæ veros Sacerdotes habet: hæresis vindicare non potest, quæ Sacerdotes Dei non habet*. Chrysostomus (*d*) inde colligit Sacerdotii nostri præstantiam, quod *Sacerdotibus tantum novæ legis dictum sit: quæcumque alligaveritis, & quorum remiseritis peccata &c.*, & S. Leo ait (*e*) *divinitus fuisse ordinatum, ut indulgentia Dei nonnisi supplicationibus Sacerdotum obtineri posset*. Ergo &c.

Obj. ex Scripturis illud: (*f*) *Confitemini alterutrum peccata vestra* Ergo confessio apud omnes indiscriminatim fieri potest, & consequenter ab omnibus Sacramentum Pœnitentiæ ministrari.

℟. textum dupliciter exponi posse, primo ut loquatur de sacramentali confessione, & tunc sensus est: *Confitemini alterutrum*, idest *homo non erubescat homini confiteri peccata sua*, quod verificatur, etsi soli Sacerdoti facienda sit confessio: secundo ut non loquatur de sacramentali confessione, sed contineat exhortationem, ne excusemus nos, potius autem humiliter etiam coram aliis

(a) *de lapsis*. (b) *in Regul. brevior.*
(c) *lib.* 1. *de Pœnit. cap.* 2.
(d) *lib.* 3. *de Sacerd. cap.* 5.
(e) *Ep.* 83. *al.* 91.
(f) *Jacob.* 5.

alius fateamur nos esse peccatores. At neque hoc posito textus quidquam contra nos facit. Ergo &c.

Obj. ex Ecclesiasticis monumentis. I. plura sunt exempla apud Martenium confessionis factæ apud laicos, cui usui favet D. Thomas inquiens: (*a*) *Minister Pœnitentiæ, cui confessio est facienda, ex officio est Sacerdos, sed in necessitate etiam laicus vicem Sacerdotis supplet, ut ei confessio fieri possit*. Ergo &c.

II. saltem Diaconos hoc Sacramentum ministrasse colligitur ex S. Cypriano dicente: (*b*) *Occurrendum puto fratribus nostris, ut qui libellos a Martyribus acceperunt, & prærogativa eorum apud Deum adjuvari possunt, si incommodo aliquo & infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectata præsentia nostra apud Presbyterum quemque præsentem, vel si Presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque exomologesim facere delicti sui possint, ut manu eis in Pœnitentiam imposita veniant ad Dominum cum pace*. Ergo &c.

Ad I. ℟. confessionem illam non fuisse sacramentalem, sed actum tantum humilitatis gratiam conferentem ex opere operantis, qui aliquando adhibitus est, cum non posset mediante Sacramento obtineri gratia ex opere operato: & hanc confessionem non fuisse sacramentalem indicat S. Thomas inquiens in hac confessione facta laicis *non esse aliquid ex parte ministri, scilicet absolutionem, & satisfactionis injunctionem*.

Ad II ℟. S. Cyprianum nomine *exomologesis* non intelligere confessionem sacramentalem, & nomine *impositionis manuum* non intelligere reconciliationem præstitam per sacramentalem absolutionem, sed solum cæremoniam, qua in defectu

(a) *Suplem. quest.* 8. *art.* 2.
(b) *Ep.* 12.

ſectu Sacerdotum pœnitentes ex humilitate peccata confitebantur, & extrinſece per Diaconos abſolvebantur, ac reconciliabantur Eccleſiæ.

ARTICULUS SECUNDUS.

Videndum modo quænam in Sacerdotibus requirantur ad valide abſolvendum.

Ad valide igitur abſolvendum ſaltem ſæculares requiritur in primis *approbatio*. Hæc eſt judicium, quod efformat approbans circa idoneitatem Sacerdotis ad audiendas confeſſiones. Quæ quidem approbatio duplex eſſe poteſt, ſcilicet vel expreſſa, vel tacita: prima habetur, quoties approbans vel verbo, vel ſcripto teſtatur idoneitatem Sacerdotis ad audiendas confeſſiones: ſecunda cum abſque tali expreſſo teſtimonio aliquid facit neceſſario involvens approbationem, ut ſi conferat Sacerdoti beneficium Parochiale.

Approbationem requiri ad valide abſolvendos ſæculares colligunt communiter Doctores ex Tridentino docente: (*a*) *Decernit Sancta Synodus nullum etiam Regularem poſſe confeſſiones ſecularium etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut Parochiale beneficium habeat, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut alias idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat*. Ex quo colligitur, facultatem eligendi ſibi in Confeſſarium ſimplicem Sacerdotem non approbatum ab Epiſcopo non competere Parocho ſæculari, cum & ipſe veniat nomine ſæcularium, unde merito damnata eſt ab Alexandro VII. propoſitio: (*b*) *Qui beneficium curatum habent, poſſunt ſibi eligere in Confeſſarium ſimplicem Sacer-*

(a) *Seſſ.* 23. *cap.* 15. (b) 16.

cerdotem non approbatum ab Ordinario. Imo hoc etiam valet de Episcopo extra propriam Diœcesim relate ad eligendum sibi in Confessarium Sacerdotem non subditum, nec ab Episcopo loci approbatum, ut docet Viva (*a*) referens quod, cum hoc in Congregatione Cardinalium remansisset indecisum, Gregorius XIII. de hac re consultus respondit: *In re dubia tutius est adhærere decreto Concilii Tridentini*. Quod si Episcopus esset in propria Diœcesi, non esset dubium, quin posset sibi Confessarium eligere simplicem Sacerdotem etiam alias non approbatum; nam eligendo approbat. Quod idem dicendum de Vicario Capitulari, de Abbatibus exemptis, & aliis hujusmodi habentibus jurisdictionem quasi Episcopalem; ut enim isti possunt adinstar Episcoporum approbare simplices Sacerdotes ad audiendas confessiones suarum ovium, ita & possunt approbare in ordine ad audiendas confessiones proprias.

Quoniam autem Tridentinum loquitur tantum de confessione sæcularium, ideo nihil definit circa confessiones Regularium, qui proinde juxta antiqua privilegia possunt absolvi etiam a simplici Sacerdote non approbato ab Episcopo, dummodo tamen adsit licentia suorum Superiorum. Excipe Moniales, pro quibus absolvendis requiritur approbatio Episcopi ex constitutionibus Gregorii XV. & Urbani VIII.

Docuerunt olim plures approbationem requiri tantum respectu absolutionis a mortalibus nunquam manifestatis; nam putarunt Sacerdotem etiam non approbatum posse absolvere a venialibus, & a mortalibus alias confessis. Sed hæc opinio amplius sustineri nequit, postquam Innocentius XI. præcepit (*b*) Ordinariis, ne permitterent confessionem ve-

(a) *in Proposit. supra exposita.*
(b) *in decret. de Commun. quotid.*

venialium fieri simplici Sacerdoti non approbato. Imo absolutio ab illo collata probabilius nedum illicita, sed etiam invalida dicenda est; nam ipse non habet jurisdictionem (necessariam tamen ex infra dicendis ad valide absolvendum) aut ordinariam, quæ non est unde deducatur, aut delegatam, cum Ecclesia, quæ illam deberet delegare, tantum absit, ut deleget, quin potius talem absolutionem severe prohibeat.

Ad quemnam spectet approbare modo videndum. Omissa ergo sententia communiter rejecta, quod Doctores, vel licentiati in Theologia aut sacris canonibus ipso jure sint approbati, quoad Regulares certum est requiri approbationem Episcopi, in cujus Diœcesi audire debent confessiones. Colligitur hoc ex Clemente X. dicente (*a*) *Regulares ab Episcopo ad audiendas confessiones secularium in sua Diœcesi approbatos non posse in alia Diœcesi eos absque Episcopi Diœcesani approbatione audire, quamvis pœnitentes subditi sint ejus Episcopi, a quo ipsi Religiosi fuerunt approbati*.

Certum pariter est quoad Parochos extra propriam Diœcesim non requiri approbationem Episcopi, in cujus Diœcesi sunt, relate ad audiendas confessiones subditorum, requiri vero relate ad subditos Diœcesis, in qua sunt, ita enim statutum est a Sacra Congregatione Concilii (*b*); ubi ad dubium *An Curati unius Diœcesis vocati a Parochis alienæ Diœcesis possint in ista audire confessiones tam suorum subditorum, quam alienorum absque licentia Episcopi*, responsum est *affirmative quoad subditos, negative quoad alios*.

Ad quem vero spectet approbare simplices Confessarios sæculares, controvertitur; cum enim in positivis non valeat argumentum a casu ad ca-

(a) *decret.* Superna.
(b) *apud Lambertin. notific. 19. volum. 4.*

casum, ex quo pro Regularibus requiratur approbatio Episcopi Diœcesis, in qua debent absolvere, non eruitur id etiam valere pro sæcularibus: Putant ergo alii pro his sufficere approbationem cujuscumque Episcopi; nam Tridentinum solum exigit approbationem Episcopi. Alii putant requiri approbationem Episcopi, cui est subditus Confessarius: alii approbationem Episcopi, in cujus Diœcesi audiuntur confessiones, & hæc postrema opinio est probabilior, cum judicium de idoneitate Confessarii ad illum maxime spectet, cujus est providere suam Diœcesim, & suos subditos de idoneo Confessario. Hic autem est Episcopus Diœcesis. Ergo &c.

Imo videtur hæc postrema opinio absolute tenenda, postquam Innocentius XII. Bullam edidit incipientem: *Cum sicut*, ubi decernitur *Confessarios tam sæculares, quam regulares, quicumque ii sint, in vim Bullæ Cruciatæ nullatenus posse audire pœnitentes sine approbatione Episcopi loci, in quo ipsi pœnitentes degunt, & Confessarios eligunt: neque ad hoc suffragari approbationem semel vel pluries ab aliis Ordinariis aliarum Diœcesum obtentam, etiamsi pœnitentes aliorum Ordinariorum, qui tales Confessarios approbassent, subditi sint*. Ubi etiam Pontifex declarat alias confessiones fore invalidas, quam Bullam confirmavit postea Benedictus XIV. alia Bulla incipiente: *Apostolica &c.* Licet autem Innocentius loquatur de casu Bullæ Cruciatæ, hoc tamen non tollit generalitatem regulæ; nam si ita præcipitur Confessario tàm privilegiato, ut est qui absolvit cum privilegio Bullæ Cruciatæ, multo magis præcipitur aliis non ita privilegiatis. Præterea etiam cum agitur de Confessario privilegiato ex Jubilæo, hoc idem præcipitur; ut constat ex Bulla Benedicti XIV., quæ incipit: *Benedictus Deus*, ubi Pontifex concedit tam sæcularibus, quam regularibus facultatem eligendi sibi Confessarium, dummodo sit *ex approbatis ab Ordinario loci &c.* Ergo &c. [illegible]

[illegible] (Cæ-

Cæterum nequit Episcopus Sacerdotem repertum idoneum reprobare, cum approbatio posito felici successu examinis sit actus justitiæ. Quod multo magis dicendum de Regularibus habentibus immediate a Sede Apostolica jurisdictionem, ut inferius dicam. Qui tamen est injuste reprobatus, vel sæcularis sit vel regularis, non potest absolvere, cum potestas absolvendi regulariter, ut supra dixi, dependeat ab approbatione. Hinc merito damnata est ab Alexandro VII. propositio: (*a*) *Satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, & ab eo injuste reprobato*. Et hæc de approbatione.

ARTICULUS TERTIUS.

Ad valide absolvendum præterea requiritur *jurisdictio*. Hæc autem (loquor nunc de spirituali) in genere est *potestas, quam quis habet in alios tanquam subditos, ad eos regendos & dirigendos in regnum cælorum*. Triplex est, *ordinaria, delegata, & ex concessione juris*. Prima competit alicui ex officio, ut Papæ respectu totius Ecclesiæ, Episcopo & ejus Vicario Generali respectu suæ Diœcesis, & tempore Sedis vacantis Capitulo Cathedrali: Archiepiscopo tempore visitationis relate ad subditos Episcoporum suffraganeorum, Nuncio Pontificio intra terminos propriæ nunciaturæ, Abbatibus jurisdictionem quasi Episcopalem habentibus intra terminos ejusdem jurisdictionis: Parochis relate ad propriam parœciam, Generalibus Ordinum respectu totius Religionis, Provincialibus respectu Provinciæ, Superioribus localibus respectu Monasterii, cui præsunt. Secunda competit illis, quibus conceditur a gaudente ordinaria. Tertia competit illi, qui

 in

(a) 18.

in proprium Confessarium eligitur ab illa persona, cui a jure, vel privilegio conceditur posse sibi eligere Confessarium.

Circa ordinariam & ex concessione juris nihil est specialiter notandum. Circa delegatam adverto I. gaudentes ordinaria per se loquendo posse illam delegare (Parochus tamen nequit delegare nisi approbatum ab Episcopo): II. delegatum non posse subdelegare nisi ex concessione delegantis: III. jurisdictionem delegatam non expirare morte delegantis, si res non sit adhuc integra, sive si incœptum sit judicium: secus controvertitur, utrum expiret. Quamvis autem aliqui putent expirare (quod idem dicunt pro quocumque casu, quo delegans amittat jurisdictionem; nam delegatus non habet jurisdictionem nisi dependentem a jurisdictione delegantis, adeoque cessante in hoc debet etiam in illo cessare), probabilius tamen non expirat, cum delegatio relate ad absolutionem, utpote non spectans ad jurisdictionem contentiosam, sed gratiosam, sit consideranda ut gratia, adeoque late intelligenda, unde putanda est durare, quamdiu a successore delegantis revocetur, aut nisi expiret tempus concessionis. Ubi tamen plures docent hoc valere, si delegatio fuerit generalis; si enim fuerit particularis, puta ad audiendam alicujus tantum confessionem, dicunt hanc expirare morte delegantis, nisi confessio fuerit incœpta. IV. jurisdictionem sufficienter non delegari per ratihabitionem de futuro, per hoc scilicet, quod speretur Superiorem, postquam cognovit absolutionem fuisse collatam, approbaturum esse factum; nam tunc actu non habetur jurisdictio, sed solum adest spes, ut habeatur approbatio actionis. V. nec delegari sufficienter jurisdictionem per voluntatem Superioris solum præsumptam, cum quis scilicet carens jurisdictione prudenter judicat Superiorem illam concessurum, si peteretur; nam tunc vel voluntas Superioris est tantum conditionata, concedendi scilicet jurisdictionem

risdictionem, si peteretur, & sic, cum non purificetur conditio, jurisdictio non conceditur: vel illa voluntas est etiam absoluta, & sic, cum sit mera voluntas præsumpta, adeoque nullo externo signo sufficienter manifestata, non sufficit ad delegationem, ad quam externum aliquod signum requiritur. VI. jurisdictionem delegatam limitari posse ad certos casus, certas personas, certum tempus &c.

Regulares Mendicantes immediate a Sede Apostolica habent jurisdictionem, unde ab Episcopo non accipiunt nisi approbationem, necessariam tamen, ut dixi, ad valide absolvendos sæculares. Quamvis autem contenderint aliqui hos Regulares semel approbatos ab Episcopo habere licentiam illimitatam audiendi confessiones, & absolvendi in Diœcesi ipsius Episcopi, Benedictus tamen XIV. (*a*) pluribus ostendit posse Episcopos illis licentiam limitare, ita ut elapso determinato tempore teneantur rursus examen subire, quod etiam hic servatur.

Error communis & titulus coloratus sufficiunt, ut Ecclesia conferat jurisdictionem carenti illa. Ita omnes. Finge ergo Sacerdotem, qui Parochus communiter putetur, & de Parecia provisus sit ab Episcopo, invalide tamen ob occultum impedimentum: tunc adest error communis & titulus coloratus, & hic Sacerdos ex jam dicto defectu carens jurisdictione valide absolvit, quia Ecclesia saltem transeunter, & ad quemlibet actum supplet in bonum pœnitentium jurisdictionem. Hoc tamen valet, si error vere sit communis (adeoque non solus error paucorum), & sit probabilis, non crassus aut supinus; nam hi errores in jure æquiparantur scientiæ. Imo docent multi (quamvis ipse affimare non ausim) Ecclesiam

 sup-

(a) *supra relat. Notific.*

supplere defectum jurisdictionis etiam in casu solius erroris communis absque titulo colorato, puta si simplex Sacerdos carens jurisdictione communiter existimetur illam habere; nam hoc, inquiunt ipsi, videtur exigi ad bonum pœnitentium. Hæc tamen intellige, cum defectus est præcise in jurisdictione; si enim esset etiam in aliis de jure divino requisitis ad absolvendum, puta in ordine sacerdotali, Ecclesia tunc non posset supplere defectum.

In articulo mortis omnibus Sacerdotibus etiam non aliunde approbatis conceditur jurisdictio, ut moribundum absolvant, ne hic sine absolutione pereat. Tunc pariter nulla est reservatio, unde ab omnibus peccatis potest moribundus directe absolvi, consequenter etsi convalescat, non tenetur amplius se præsentare Superiori. A censuris vero nequit a quolibet Sacerdote absolvi nisi ad reincidentiam, ita scilicet, ut, si convalescat, teneatur se præsentare Superiori, alias in censuras reincidat (quod ex Tridentino (a) colligitur remittente se quoad hoc ad consuetudinem Ecclesiæ, in qua sic semper collata est absolutio a censuris in illa circumstantia): debet proinde Confessarius moribundum de hoc monere, atque exigere promissionem de parendo.

Ubi noto quod dictum est de articulo, valere etiam de periculo mortis; nam articulus & periculum mortis juxta usum Ecclesiasticum pro eodem sumuntur. Est autem articulus mortis, cum hæc certo moraliter proxime imminet, periculum e contra, cum adest occasio, in qua frequenter homines pereunt, & quæ non potest commode evitari, ut in actuali pugna, in longa navigatione &c.

Difficultas est, an potestas absolvendi moribundum in articulo mortis, competat non appro-

(a) *Sess.* 14. *cap.* 7.

probato solum in absentia approbati, an etiam cum hic adest. Probabilis est sane sententia docens hanc non approbato competere, etiam cum adest approbatus; nam, inquiunt illius auctores, Tridentinum dicit expresse: (a) *Ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis, atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis & censuris absolvere possunt.* Ergo Tridentinum nullo modo distinguit inter Sacerdotes. Omnes ergo æqualiter possunt absolvere moribundum. Unde dicunt Ecclesiam consulere voluisse nedum necessitati, sed etiam commoditati moribundi, ut scilicet possit confiteri etiam apud alias non approbatum, si majorem in illo habeat confidentiam.

Sententia tamen contraria & ipsa satis probabilis est; nam cum finis legis concedentis in casu omnibus Sacerdotibus potestatem absolvendi sit cavere periculum, ne aliquis pereat, cui periculo non subjacet moribundus præsente Sacerdote approbato, non videtur proinde in hoc casu vigere dicta concessio. Cl. Liguorius (b) plura in hanc rem affert notatu dignissima. Observat I. in Rituali Romano hæc haberi: *Si periculum mortis immineat, approbatusque desit Confessarius, quilibet Sacerdos potest a quibuscumque censuris & peccatis absolvere*, ubi expresse ponitur conditio: *Si desit Confessarius approbatus*. Observat II. hanc fuisse antiquam Ecclesiæ consuetudinem, ut quilibet indiscriminatim Sacerdos non absolveret nisi absente approbato, quod eruit ex quo Paulus V. in sua Bulla approbativa Ritualis dicat ritus ibi propositos, qualis est supradictus cum adjecta conditione, esse, quos *Catholica Ecclesia, & ab ea probatus usus anti-*

(a) *Sess* 14. *cap.* 7.
(b) *De Sacram. Pœnit. sub initio.*

in hac facienda adſit alia magna difficultas & incommodum, vel etiam ſi ſimplex Sacerdos ſit moribundo manifeſte aptior approbato; tunc enim præſumendum eſt de benignitate Eccleſiæ, quod concedat juriſdictionem etiam non approbato, ne hac occaſione aliquis pereat. V. Si approbatus ſuperveniar jam incæpta confeſſione apud ſimplicem Sacerdotem, quia tunc compleri debet judicium inceptum apud primum Sacerdotem: ubi etiam aliqui addunt hunc poſſe abſolvere moribundum, etſi prior confeſſio facta ante adventum approbati fuiſſet invalida; primus enim Sacerdos juriſdictionem habebat ad primam confeſſionem, quæ non cenſetur finita, cum invalida fuerit prima abſolutio ipſi correſpondens. VI. Si approbatus fuerit complex infirmi in peccato turpi & inhoneſto juxta inferius notanda.

Hæc poſterior ſententia cum additis limitationibus melius fortaſſe altera ſalvat, quæ ſalvanda ſunt.

Juriſdictio poteſt eſſe vel certa, vel incerta: ſi primum cum ea poteſt cæteris paribus tute procedere Confeſſarius: ſi ſecundum ſubdiſtinguendum; vel enim eſt incerta tum directe, tum reflexe, ut eſſet in eo, qui neſcit utrum habeat juriſdictionem, & nulla probabilis ratio adeſt dicendi, quod habeat, & tunc abſolutio eſt illicita, cum Sacramentum exponatur periculo fruſtrationis: vel eſt quidem incerta directe, ſed reflexe certa, & tunc valide & licite conferri poteſt abſolutio.

At ſufficitne mera probabilitas directa juriſdictionis, ut poſſit haberi certitudo reflexa de eadem?

℟. Probabiliſſimum eſſe in caſu juriſdictionem reflexe evadere certam (ſaltem quando adeſt gravis neceſſitas utendi juriſdictione ſolum probabili, vel rationabilis cauſa), cum Eccleſia in bonum pœnitentium ſuppleat defectui juriſdictionis, ſi quis eſſet, & conferat certam. Pro hac ſententia plurimi ſtant Doctores, & illi favet pra-

xis communis Confessariorum absolventium cum sola jurisdictione probabili, cujus praxis testes sunt Suarez, & Lugo; nam prior ait, (a) *Est autem universalis Ecclesiæ usus, ut Sacerdotes secure utantur hujusmodi jurisdictione probabili in hujus Sacramenti administratione:* alter autem: (b) *Est praxis & usus communis omnium Confessariorum, qui cum jurisdictione probabili absolvunt.* Cum autem hanc praxim non ignoret Ecclesia, cumque hæc in re tanti momenti non deberet permittere, ut Confessarii errarent, si permittit, ut ita absolvant, signum est eos non errare, adeoque illam supplere defectum jurisdictionis, si quis esset. Et sane jurisdictio certa confertur etiam ex universali Ecclesiæ consuetudine. Ex visis est universalis Ecclesiæ consuetudo, ut absolutio conferatur cum jurisdictione solum probabili. Ergo ex tali consuetudine confertur tunc jurisdictio certa. Præterea si quis carens cæteroquin jurisdictione sciente & consentiente Prælato audiat alicujus confessionem, & illum absolvat, censetur tunc Prælatus illi jurisdictionem conferre. Ergo &c.

Dixi supra limitari posse jurisdictionem vel ad certum tempus, vel ad certum locum, vel ad certas personas, vel ad certos casus. Patet autem habentem jurisdictionem sic limitatam non posse absolvere ultra limites sibi præfixos. Et jam eo ventum est, ubi est agendum de reservatione, qua in Confessario limitatur jurisdictio. Sit ergo

ARTICULUS QUARTUS.

Reservatio est *restrictio jurisdictionis in Confessario, ne quædam peccata absolvat.* Esse in Ecclesia facultatem reservandi peccata docet Triden-

---

(a) *Disput.* 26. *Sect.* 6. *num.* 7.
(b) *Disput.* 19. *num.* 34.

dentinum inquiens: (*a*) *Si quis dixerit Epiſcopos non habere jus reſervandi ſibi caſus niſi quoad externam politiam, atque ideo eorum reſervationem non prohibere, quominus Sacerdos a reſervatis vere abſolvat, anathema ſit*. Facultas autem hæc reſidet in Papa reſpectu totius Eccleſiæ, in Epiſcopis reſpectu propriæ Diæceſis, & generatim quicumque poſſunt delegare juriſdictionem, poſſunt ſibi caſus reſervare, cum illam poſſint delegare limitate. Quamvis autem Parochi abſolute poſſint reſervare peccata, conſuetudo tamen eſt in contrarium.

Caſus Papæ reſervati plures ſunt partim in Bulla Cænæ, (quæ ſcilicet quotannis publicatur feria V. in cæna Domini) partim extra illam vagantes. Hi omnes ex fere communi reſervantur ſolum ratione cenſuræ, quæ ipſis ſolet adnecti, quæque eſt ipſi Papæ reſervata. Ut ergo ignorantia inculpabilis cenſuræ excuſat ab ea incurrenda, ſic qui peccatum Papæ reſervatum commiſit inculpabiliter ignorando cenſuram, poteſt a ſimplici Confeſſario abſolvi. Ubi tamen noto regulam generalem, quod peccata non reſerventur Papæ niſi ratione cenſuræ, fallere in caſu, quo peccatum Papæ reſervetur nulla ei adnexa cenſura, ut E. G. accidit in caſu, quem reſervavit ſibi Benedictus XIV (*b*) de illis, qui innoxios Sacerdotes apud Eccleſiaſticos Judices falſo ſollicitationis inſimulaverint vel per ſe, vel per alios, cui peccato nullam adnexuit cenſuram.

Tridentinum (*c*) conceſſit Epiſcopis facultatem abſolvendi in foro conſcientiæ vel per ſe, vel per Vicarium ad id ſpecialiter deputandum ſubditos ſuos in ſua Diœceſi a quocumque crimine

---

(a) *Seſſ.* 14. *cap.* 11.
(b) *Conſtit. quæ incip. Sacram. Pœnitentiæ.*
(c) *Seſſ.* 24. *cap.* 6. *de Reform.*

ne Papæ reservato, si sit occultum, quod idem extendit ad hæresim occultam, ita tamen ut non possint ab hac absolvere nisi per se ipsos. Sed cum postea sæpius in Bulla Cænæ expresse prohibitum sit, ne quis absolvat a casibus in ea contentis, nisi in articulo mortis, etiam prætextu quarumcumque facultatum per cujusvis Concilii decreta concessarum, hinc per hanc Bullam dicendum derogatum quoad casus in dicta Bulla expressos facultati a Tridentino Episcopis concessæ. Ad quam rem damnata est ab Alexandro VII. propositio (a): *Sententia asserens Bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629. die 18. Julii in Consistorio Sacræ Congregationis Eminentissimorum Cardinalium visa & tolerata est*. Ab eodem etiam damnata est alia propositio ad rem præsentem spectans (b): *Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscumque sæculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter illam incursa*.

Possunt tamen ex communi Episcopi absolvere a casibus Papæ reservatis, si adsit impedimentum vel perpetuum, vel nimis diuturnum comparendi coram illo, vel ab illo delegato; non enim censendum est Papam velle tunc reservari sibi peccatum cum damno spirituali pœnitentis, qui diutius deberet abstinere a confessione, & cum periculo æternæ damnationis. Hoc tamen casu si impedimentum non sit perpetuum, erit exigenda a pœnitente promissio de comparendo, cum poterit, coram Papa. Quod dicitur in casu de Episcopis relate ad casus Papales, aliqui etiam extendunt ad simplices Confessarios relate ad casus Episcopales in iisdem circumstantiis. Sed probabilius

(a) 3. (b) 4.

lius hoc non subsistit; ideo enim id conceditur in primo casu, quia cum recursus ad Papam etiam per litteras aut internuncium sit difficilis & diuturnus, non est censendum, quod ipse tunc velit suam reservationem subsistere cum tali difficultate & diuturnitate. At hoc non valet de recursu ad Episcopum, qui facilis est. Ergo &c.

Quoad casus vero Episcopis reservatos hi ordinarie non reservantur adnexa censura. Ab his Religiosi Mendicantes absolvere nequeunt nisi de licentia Episcopi, ut constat ex damnatione facta ab Alexandro VII. propositionis (a): *Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopo reservatis non obtenta ad id Episcoporum facultate*. Quinam autem casus Episcopo reservati sint, patet ex Tabella, quæ in singulis Diœcesibus solet publicari.

Generaliter ad reservationem aliqua requiruntur ex parte peccatorum, aliqua ex parte pœnitentium, aliqua ex parte locorum. Ex parte peccatorum I. requiritur, ut sint mortalia non antea manifestata; quidquid enim sit, utrum veniale & mortale alias confessum possint reservari, certum est non solere reservari, cum superflua videatur reservatio peccatorum, quæ non tenemur confiteri. II. ut non sint pure interna; quidquid enim sit, an hæc possint reservari, certum tamen est ea nunquam de facto reservari. III. ut sint consummata & gravia etiam in ratione peccati externi, & sint in toto rigore talis determinatæ speciei, & sic cum E. G. in hac Diœcesi reservatur incœstus in primo gradu consanguinitatis, reservatio non cadit nisi supra copulam completam inter personas conjunctas in gradu expresso, & quidem cum cognitione talis conjunctionis; & cum reservatur percussio, hoc intelligitur de percussione facta non solum animo graviter pravo, sed

etiam

(a) 12.

etiam quæ ſit externe gravis. IV. ut peccata ſint certa certitudine tum juris, tum facti, cum ſcilicet adeſt dubium vel juris (ut ſi dubitetur, utrum peccatum ſit vere reſervatum, nec ne), vel facti (ut ſi dubitetur, utrum peccatum commiſſum ſit in terminis; in quibus certum eſt eſſe reſervatum), peccatum non eſt reſervatum, cum odia ſint reſtringenda. Poteſt ergo tunc directe abſolvi, adeoque etſi poſtea ſuperveniat notitia certæ reſervationis, non tenebitur pœnitens Superiorem adire.

Ex parte pœnitentium probabiliter requiritur, ut hi ſint puberes, ſubintellige niſi in contrarium conſtet de mente reſervantis. Utrum vero requiratur cognitio reſervationis, controvertitur. Aliqui putant requiri, cum reſervatio ſit pœna, quæ non incurritur ab ignorante. Et ſane, dicunt iſti, pœna imponitur, ut homo ille territus a peccato abſtineat, quod non fit, cum ipſa ignoratur. Quod ſi etiam reſervatio conſideretur ut medicina, nec tunc debet incurri ab ignorante; nam medicina nequit ægrotum ſanare, niſi illi applicetur. Cum ergo reſervatio non applicetur peccatori niſi per cognitionem, hac ſecluſa non applicabitur. Hac ergo ſecluſa non incurretur. Sed communius oppoſitum ſentiunt Doctores, quorum plures contrariam ſententiam dicunt improbabilem. Ratio eſt, quia reſervatio immediate afficit non pœnitentem, ſed Confeſſarium, cui adimitur juriſdictio in tale peccatum, unde vel ignoretur, vel non, ſemper verificatur, quod Confeſſarius ſuper illud non habet juriſdictionem. Rurſus licet reſervatio aliquo modo ſit pœna, unde præciſe qua talem poſſit dici eam non incurri ab ignorante, eſt tamen etiam & principalius medicina docente Tridentino (a) *magnopere ad Chriſtiani populi diſciplinam pertinere reſervationem . . . ut atrociora crimina non*

(a) *Seſs. 14. cap. 7.*

non a quibusvis, sed a summis dumtaxat Sacerdotibus absolvantur. Potest autem esse medicina peccati, etsi ignoretur, non quatenus præservet a peccato, quod supponitur commissum, sed quatenus & moveat ad vehementiorem illius detestationem, dum pœnitens videt non omnes Confessarios posse illud absolvere, & melius disponitur ad cavenda imposterum peccata similia per monita Confessarii dignioris, ad quem compellitur accedere. Et hæc quidem posterior sententia in praxi est tenenda.

Ex parte locorum noto reservationes Papales obligare totam Ecclesiam, Episcopales vero regulariter habere vim solum intra ipsorum Diœcesim, unde si E. G. Bononiensis commiserit hic peccatum in hac Diœcesi reservatum, & confiteatur illud Mutinæ, ubi tale peccatum non sit reservatum, poterit ibi absolvi, si tamen illuc non perrexerit in fraudem reservationis. E contra si commiserit peccatum hic non reservatum, sed reservatum Mutinæ, ibi non poterit absolvi. Et ratio est, quia ex Ecclesiæ consuetudine Peregrini quoad Sacramentum Pœnitentiæ considerantur tanquam incolæ loci, in quo sunt. Tam ergo gaudent facultatibus, quam subjiciuntur oneribus ibi vigentibus. Possunt ergo absolvi a peccatis ibi non reservatis, non possunt absolvi a reservatis. Dictum est posse pœnitentem absolvi a casu reservato in patria, dummodo non reservato in loco, in quo est, *si tamen illuc non perrexerit in fraudem reservationis*; si enim sic perrexerit, non poterit absolvi, quia fraus nulli patrocinari debet (& idcirco etiam dictum est reservationes Episcopales *regulariter* habere vim solum intra ipsorum Diœcesim). Quod confirmatur ex declaratione Clementis X. (*a*) dicentis *posse Regularem Confessarium in Diœcesi, in qua est approbatus, confluen-*

(a) *In Bulla* Superna.

fluentes ex alia Diœcesi a peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa, ubi idem Confessarius est approbatus, absolvere, nisi eosdem pœnitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam Diœcesim pro absolutione obtinenda migrasse: quæ limitatio valet non solum pro Regularibus, sed etiam pro sæcularibus ex declaratione Sacræ Congregationis apud Dianam.

A reservatis absolvere potest primo qui ea reservavit: secundo qui est reservanti superior relate ad forum sacramentale, & hinc peccata Episcopo reservata possunt a Papa absolvi: non sic vero Archiepiscopus potest absolvere peccata reservata Episcopis suffraganeis, quia licet illis sit dignitate superior, non est tamen talis in foro sacramentali, cum non habeat immediatam jurisdictionem in illorum Diœcesi (excipe cum illas actu visitat): tertio qui delegantur a reservante.

Circa praxim absolvendi a reservatis hæc sunt notanda. I. si accedat aliquis ad simplicem Confessarium laborans aliquo reservato simul & non reservatis, extra casum necessitatis hic non potest absolvi, ut patet, sed est remittendus ad habentem facultatem pro reservatis. Sed in casu gravis necessitatis, puta si sit in necessitate accedendi ad Eucharistiam, poterit hic absolvi directe a non reservatis, indirecte vero a reservatis, cum onere postea comparendi coram approbato ad reservata, ut absolvatur directe. In casu autem talis necessitatis, quamvis aliqui doceant pœnitentem non teneri ad manifestanda nisi non reservata, cum reservatorum manifestatio sit inutilis relate ad absolutionem, quæ nequit directe super illa cadere, probabilius tamen videtur hæc etiam esse manifestanda, tum ut habeatur integritas confessionis, quam exigit Tridentinum, tum ut Confessarius cognoscat statum pœnitentis, & utrum E. G. sit constitutus in proxima occasione, vel in consuetudine peccandi, & illi interim suggerat opportuna remedia.

II. Si

II. Si Confessarius simplex obtineat a Superiore facultatem absolvendi aliquem a reservatis, & postquam obtenta est facultas ista, antequam hic a prioribus absolvatur, reincidat in peccata ejusdem speciei (saltem nisi interponatur magna distantia inter concessionem facultatis, & nova peccata), poterit etiam a posterioribus absolvi, si concessa sit facultas absolvendi a peccato talis speciei; non est enim, cur coarctemus tunc jurisdictionem Confessarii, quod idem & ex eadem ratione est dicendum, si pœnitens ex spe absolutionis denuo peccasset: secus, si superior concessisset tantum facultatem absolvendi ab auditis; nam tunc, ut patet, facultas se extenderet tantum ad peccata priora, quæ sunt manifestata.

III. Si habens reservatum & illius invincibiliter oblitus confiteatur alia peccata apud approbatum ad reservata, plures docent sublatam tunc esse reservationem respectu peccati obliti, quia tunc pœnitens se præsentavit legitimo Superiori, qui semper intendit ipsi favere quantum potest, unde cum in casu non possit directe absolvere a reservato, utpote non manifestato, potest tamen tollere reservationem, & de facto præsumitur eam substulisse. Et hoc extendunt nedum ad Superiorem reservantem, sed etiam ad delegatum, & nedum ad casum, quo confessio fuerit valida, sed etiam ad casum, quo fuerit invalida, dummodo non fuerit sacrilega. Hæc quidem sententia est probabilis, sed alii probabilius contrarium sentiunt asserentes per talem confessionem non fuisse satisfactum menti reservantis, quæ est nedum, ut pœnitens habens reservata se præsentet habenti necessariam facultatem, sed etiam ut illi aperiat reservatum, ac ab eodem salutaria monita ac remedia percipiat. Per istos ergo debebit pœnitens reservata, cum menti occurrent, apud approbatum ad illa confiteri. Adverto tamen facilius posse concedi, quod qui confessus est reservata apud habentem facultatem ad illa, & fecit cæteroquin confessionem invalidam (saltem si hoc fecit in-

culpabiliter) puta ex defectu doloris vel propositi, videtur per talem confessionem exemptus a reservatione, cum tunc fuerit sufficienter satisfactum intentioni reservantis. Tenebitur nihilominus pœnitens in casu manifestare peccata alteri Confessario, nec non Pœnitentiam a priore impositam adimplere.

Quid porro dicendum de reservatis effectu secuto?

℟. Illa posse absolvi a quocumque simplici Confessario, antequam sequatur effectus, unde in hac Diœcesi, in qua reservatur homicidium voluntarium effectu secuto, qui aliquem vulneravit ad mortem, potest a simplici Confessario absolvi, antequam vulneratus moriatur.

Pro coronide dictorum circa reservationem adverto posse dici quodammodo reservatum respectu Confessarii peccatum complicis turpe & inhonestum contra sextum Decalogi præceptum. Præscribit siquidem Benedictus XIV. (*a*), ut nullus Confessor, quicumque is sit, absolvat personam in tali delicto complicem, præterquam in articulo mortis, & deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confessarii munus obire possit: & absolutionem extra hunc casum collatam irritam declarat, ac Confessarium illam conferentem ipso facto punit excommunicatione majore Sanctæ Sedi reservata. In declaratione autem dictæ constitutionis (*b*) concedit Confessario complici facultatem absolvendi complicem in articulo mortis, etsi possit haberi alius Sacerdos, cum hic nequit vocari, aut accedere sine gravi infamia vel scandalo.

Dictum est hoc peccatum *quodammodo* dici posse reservatum; nam rigorose tale dici nequit, cum Confessarius respectu aliorum pœnitentium peccata ejusdem speciei absolvere possit, & re-

spectu

(a) *Constit. incipien.* Sacramentum Pœnitentiæ. (b) *Incipien.* Apostolici muneris.

spectu complicis dici nequit, quod habeat restrictam jurisdictionem, sed ipsa omnino caret, ita ut ne indirecte quidem absolvere illum possit, & si forte non advertens illum absolvat, irrita sit absolutio utpote data ab eo, qui nullo modo respectu complicis est Confessarius. Hæc autem in aliis reservationibus non militant.

ARTICULUS QUINTUS.

De muneribus modo Ministri Sacramenti Pœnitentiæ agendum est. Hæc ad quatuor reducuntur, ad munus *Ministri Christi*, *Judicis*, *Doctoris*, *&* *Medici*. De singulis ex ordine.

Ut Minister Christi debet Confessarius curare reverentem ac fidelem Sacramenti administrationem. Plura hucusque tradita sunt ad talem administrationem spectantia. Hic locus est, ut de sigillo sacramentali agam, utpote quod maxime ad rectam hujus Sacramenti administrationem est necessarium.

Sigillum itaque sacramentale est *obligatio reticendi, quæ audita sunt per ordinem ad sacramentalem absolutionem*. Hac obligatione tenetur tam Confessarius, quam quicumque alius casu manifestata per ordinem ad absolutionem cognovit. Fundatur hæc obligatio tum in fidelitate exigente custodiam secreti, tum in justitia exigente, ut non infametur pœnitens, tum in religione exigente, ut Sacramentum non reddatur odiosum, quale redderetur, si manifestarentur peccata. Sigillum ergo est de jure naturali, quod dictas virtutes præcipit, de jure divino positivo ob reverentiam Sacramenti, & de jure positivo humano, cum pluribus legibus canonicis præscribatur, ex quo patet frangentem sigillum triplici peccato peccare, idest contra religionem, contra fidelitatem, & contra justitiam.

Obligatio sigilli oritur ex quacumque peccati manifestatione directa ad absolutionem obtinendam, unde habetur nedum, cum ponitur hæc ab-

solu-

solutio, sed etiam cum non ponitur vel ob indispositionem pœnitentis, vel ob carentiam facultatis in Confessario; nam in his casibus confessio est directa ad obtinendam absolutionem: secus si confessio fieret animo illudendi. Ista obligatio est gravissima, unde nequit in fractione sigilli dari parvitas materiæ. Nec talis obligatio cessat in casu maximi damni imminentis vel pœnitenti, vel Confessario, vel Reipublicæ. Nequit ergo revelari peccatum pœnitentis, nisi de illius consensu, qui debet esse expressus, & omnino liber. Imo idem consensus requiritur, ut Confessarius possit extra confessionem loqui de peccatis præteritis cum ipso pœnitente, alias frangetur sigillum. Permittitur tamen, ut, si immediate post absolutionem aliquid Confessario occurrat dicendum circa confessionem præteritam, illud addat, cum hoc sit moraliter conjunctum cum confessione jam facta.

Interrogatus ergo Confessarius de peccato pœnitentis potest respondere citra mendacium, & etiam jurare se nihil scire, quia circumstantia officii facit, ut hic modus loquendi æquivaleat huic, *nihil scio, quod possim revelare*. Ubi etiam nota, quod ne cognoscatur pœnitentem esse indispositum, ideoque incapacem absolutionis, debet Confessarius in fine confessionis efformare super illum signum crucis aliquam orationem fundendo.

Dupliciter potest frangi sigillum: directe, cum scilicet expresse revelatur aliquid cadens sub sigillo: indirecte, cum aliquid aliud fit, per quod devenitur in notitiam alicujus cadentis sub sigillo.

Quæ cadunt sub sigillo, sunt I. peccata omnia in ordine ad absolutionem modo explicato manifestata, unde qui aliquod peccatum in specie manifestaret, frangeret sigillum, quod etiam frangeret, si in genere diceret: *audivi a tali pœnitente peccata gravia*, cum infametur pœnitens, de quo posset dubitari, utrum sola venialia confessus fuisset. Si vero in genere dicatur: *audivi a tali pœnitente venialia*, non frangitur sigillum, cum certum sit pœnitentem confitentem saltem

ve-

venialia manifestare. II. Defectus naturales, qui manifestantur per ordinem ad confessionem, ut si quis se accuset, quod licet illegitimus ad Ordines ascenderit absque dispensatione; tunc enim sub sigillo cadit etiam illegitimitas. Hoc etiam per aliquos extenditur ad naturales defectus, qui licet non habeant ordinem ad confessionem, in confessione tamen cognoscuntur, ut E. G. fœtor halitus; hos enim manifestando redditur odiosa confessio. III. Virtutes ipsæ, revelationes, gratiæ, quæ manifestantur per ordinem ad confessionem; ut si manifestentur, ut cognoscatur inconstantia, ingratitudo &c., secus si manifestentur tantum ad consilium captandum: quod idem dicendum de scrupulis. IV. Pœnitentia gravis pœnitenti imposita; nam ex hac cognoscitur illum manifestasse lethale. V. Peccata etiam complicum, quæ scilicet a complicibus pœnitentium commissa sunt, & quæ a confessione pœnitentium cognoscuntur.

Generaliter Confessarius cavere debet, ne utatur scientia in confessione acquisita vel in sui, vel in proximorum gubernatione; nimis enim facile est vel frangere sigillum, vel saltem odiosam reddere confessionem. Hinc in generali Congregatione S. Inquisitionis (a) damnata est hæc propositio: *Scientia ex confessione acquisita uti licet, modo fiat sine directa aut indirecta revelatione, & gravamine pœnitentis, nisi aliud multo majus ex non usu sequatur, in cujus comparatione prius merito contemnatur.* Merito autem damnata est propositio, cum qualecumque incommodum oriatur ex taciturnitate Confessarii, illud non sit tantum, quantum est, quod Sacramentum reddatur odiosum. Non ergo Superior E. G. ex confessione cognoscens peccata subditorum potest uti hac notitia in illorum exter-

---

(a) *Die* 18. *Novemb.* 1682.

terna gubernatione, ut etiam declaravit Clemens VIII. (*a*): nec Confessarius ita cognoscens inhabilitatem pœnitentis ad aliquod officium potest hac notitia etsi occulte uti ad negandum illi votum favorabile. Imo nec ad evitandum pro se gravissimum malum, puta mortem, potest ipse Confessarius aliquid facere vel omittere, ex quo gravetur pœnitens; nam sola persuasio, quod Confessarius possit uti notitia habita in confessione, cum aliquo etsi levissimo gravamine pœnitentis odiosam redderet confessionem, & homines ab illa retraheret. Ubi tamen adverto licere uti scientia in confessione acquisita, si id fiat sine fractione sigilli & gravamine pœnitentis, & absque eo, quod confessio ideo reddatur difficilior & odiosa, sicuti licet aliquid facere juxta talem scientiam, cum hæc nedum habetur ex confessione, sed etiam ex alio capite, dummodo tamen nullatenus id fiat, aut detur rationabilis causa suspicandi id fieri ex notitia habita in confessione.

Confessarius ut judex tenetur rectam proferre sententiam vel absolvendo, vel negando absolutionem. Hanc dispositis debet concedere, indispositis negare vel differre, quoadusque disponantur. Non est proinde absolvendus ignorans culpabiliter mysteria fidei juxta damnationem factam ab Innocentio XI. propositionis: (*b*) *Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, & etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium SS. Trinitatis, & Incarnationis Domini nostri Jesu Christi*: imo nec est absolvendus ignorans etiam inculpabiliter mysteria principalia fidei, ut existentiam Dei, & quod sit remunerator, & quod sit unus in natura, & trinus in Personis, & Incarnationem Verbi, cum priorum certo necessitate medii requiratur fides explicita ad justificationem, po-

(a) *Ann.* 1594. (b) 64.

poſteriorum vero ſaltem probabiliter, adeoque ſufficienter, ut nequeat Sacramentum ſine illa conferri, ne exponatur periculo fruſtrationis.

Nec eſt abſolvendus conſtitutus in occaſione proxima voluntaria, ſi nolit eam dimittere (ſubintellige ſemper, ſi occaſio reſpiciat peccata lethalia), quia retinet affectum ad peccatum. Ad quam rem damnavit Innocentius XI. hanc propoſitionem: (*a*) *Poteſt aliquando abſolvi, qui in proxima peccandi occaſione verſatur, quam poteſt & non vult omittere, quinimo directe & ex propoſito quærit, aut ei ſe ingerit.* Si vero velit eam dimittere, idque promittat, docent aliqui poſſe pro prima, & juxta alios etiam pro ſecunda vice abſolvi, antequam actu dimittat: tutius tamen eſt, & omnino ſequendum in praxi non prius abſolvere, quam dimiſerit, præſertim ſi commode illam poſſit dimittere, ut ſi E. G. domi haberet; ſæpe enim fit, ut conſtituti in tali occaſione fruſtra promittant.

Sicuti autem conſtitutus in occaſione proxima involuntaria tenetur ponere media, ut hæc de proxima evadat remota, ſic Confeſſarius non poterit ipſum abſolvere, niſi hæc media ponere velit & promittat, imo præſtabit non abſolvere, niſi poſtquam poſuit, & notabilem emendationem oſtendit.

Mitius quidem debet agere Confeſſarius cum conſuetudinario, quam cum conſtituto in occaſione proxima, quia hæc facilius tolli poteſt, quam conſuetudo, & ipſi tamen conſuetudinario differenda eſt abſolutio, quando pluries confeſſus eſt eadem peccata, nec ulla notabilis emendatio, aut ſpes emendationis apparet: extat ſiquidem damnatio facta ab Innocentio XI. hujus propoſi-

(a) 61.

tionis: (*b*) *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est deneganda nec differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere, & proponere emendationem.* Circa quam propositionem placet aliqua advertere, quibus fere omnia continentur, quæ de obligatione Confessarii circa consuetudinarium hic videntur tradenda.

Falsitas ergo dictæ propositionis constat ex duplici munere, quo juxta supra dicta fungitur Confessarius, nimirum & judicis, & medici; quatenus enim judex est, tenetur justam proferre sententiam, justa autem non est sententia absolutionis, quam profert, si non possit prudenter judicare de dispositione pœnitentis: quomodo non potest, si pluries hic relapsus sit, & pluries frustra promiserit emendationem; adest enim tunc valida præsumpsio contra sufficientiam doloris & propositi, aut saltem validum dubium de illis, etsi ea cæteroquin ore tenus proferat. Quatenus autem medicus tenetur, quantum fieri potest, etiam impedire peccata futura adinstar medici corporalis, qui non solum medetur malo præsenti, sed etiam arcet futura. Porro cum dilatio absolutionis multum conferat ad hanc præcautionem, hinc etsi non haberetur prudens dubium de dispositione pœnitentis, præstaret absolutionem differre.

Objiciebant tamen olim propositionis assertores. I. Materia Sacramenti non est emendatio futura, sed dolor & propositum præsens: hic autem dolor debet supponi, quando pœnitens dicit se dolere & proponere emendationem, cum pœnitens in hoc Sacramento sit suimet accusator & testis, & alias nec posset consuetudinarius absolvi in articulo mortis, quod tamen nemo dixerit. Hoc au-

---

(a) 60.

autem dolore ſuppoſito habet pœnitens jus ad abſolutionem.

II. Poteſt abſolvi, qui prima vice confitetur conſuetudinem, etſi millies peccaverit. Ergo etiam qui millies peccavit, quamvis pluries confeſſus fuerit eadem peccata, & pluries fruſtra emendationem promiſerit, dummodo tamen hanc modo promittat.

III. Poteſt ſemper abſolvi, qui ſemper eadem venialia confitetur. Ergo a pari &c. Sed

Ad I. ℟. eſſe quidem materiam Pœnitentiæ diſpoſitionem præſentem, non emendationem futuram pœnitentis, at de hac diſpoſitione præſenti ex dictis non habetur ſufficiens indicium, cum adverſus aſſertionem pœnitentis, cui ſane, ſi nihil obſtaret, eſſet in hoc Sacramento credendum, militet valida præſumptio, vel ſaltem validum dubium ex jam dictis: & quamvis haberentur ſufficientia diſpoſitionis indicia, ad Confeſſarium ut medicum ſpectaret differre abſolutionem juxta ſuperius explicata. In articulo autem mortis eſt etiam conſuetudinarius ſaltem ſub conditione abſolvendus, primo quia non poteſt tunc haberi major certitudo de illius diſpoſitione, quam quæ reſultat ex teſtimonio ipſius (ſecus ac contingat in caſu noſtro, in quo poſſumus ab ipſa experentia ulterius certiorari): ſecundo quia circumſtantia illa periculi imminentis damnationis, in quo pœnitens reperitur, prudens fundat judicium de tali diſpoſitione. Porro ſi pœnitens vere eſſet diſpoſitus, haberet utique jus ad abſolutionem, ſed non ſtatim obtinendam, cum adſunt motiva valida ad illam differendam, quæ motiva in caſu adeſſe ſupra probavi. Sane etiam Cathecumenus petens Baptiſmum jus habet ad illum, ſed tamen poteſt hic illi differri ad melius illum diſponendum. Ergo a pari &c.

Ad II. ℟. primo forte etiam aliquando utilius fore non ſtatim abſolvere pœnitentem prima vice confitentem conſuetudinem, ſed prius illum diſponere vel per jejunia, vel per meditationes

&c. ad uberiorem gratiam recipiendam. Sed etsi cæteris paribus posset tunc ei impendi absolutio, disparitas tamen est inter duos hosce casus; qui enim prima vice confitetur consuetudinem, non habet contra se illa motiva dubitandi de dolore & proposito, quæ habet qui pluries confessus est, & notabilem interim emendationem non exhibet. Ergo &c.

Ad III. respondent aliqui ideo non esse denegandam absolutionem sæpe confitenti eadem venialia, tum quia frequentes sunt occasiones in ea labendi, tum quia per ipsam voluntariam confessionem venialium, quæ cæteroquin non tenetur confiteri, ostendit sufficienter dispositionem suam, tum etiam quia relapsus in venialia non affert grave damnum animæ. Cum autem horum nullum verificetur in habente consuetudinem peccandi lethaliter, sequitur non posse nos a casu ad casum argumentari. Sed responderi etiam potest nec confitenti semper eadem venialia esse credendum, cum asserit se dolere, adeoque tunc provocandum esse ad confessionem alicujus peccati anteactæ vitæ, de cujus detestatione non adsit prudens dubium, super quod peccatum certa cadat absolutio.

Statuto jam, quod regulariter sit consuetudinario differendi absolutio, præstat modo indicare quandonam illi possit eadem absolutio impendi.

Et primo certum est posse illi impendi absolutionem, si notabilis appareat in ipso emendatio, qualis esset si E. G. mense antecedenti vicies peccasset, & data paritate tentationum &c. hoc mense peccasset tantum bis, aut ter. Extra hunc casum poterit absolutio consuetudinario impendi prima vel secunda vice, qua confitetur consuetudinem, & etiam aliis vicibus, si det extraordinaria signa doloris & propositi, puta ex quo E. G. interfuerit sacris Missionibus, vel spiritualibus exercitationibus, vel elapsus sit ab aliquo magno periculo, vel viderit repentinam mortem alicujus; in his enim & similibus circumstan-

tiis

tiis poterit prudens Confessarius efformare judicium de dispositione pœnitentis.

Non est pariter absolvendus obligatus ad restitutionem vel reparationem damnorum, nisi vel restituerit, vel possit illi credi, quod restituet: nec obligatus ad denunciandum vel Confessarium sollicitantem, vel hæreticum &c., nisi possit credi ipsum denunciaturum. Ubi adverto generaliter relate ad illos, qui tenentur damna reparare vel denunciare, quod si alias promiserint, & absque legitimo impedimento non steterint promissis, non debet illis credi. Pariter non est absolvendus confitens sine debito dolore vel proposito, ut publicus peccator, nisi auferat publicum scandalum per peccatum exhibitum.

Licet autem differre absolutionem pœnitenti cæteroquin disposito, primo de ipsius consensu: secundo cum Confessarius indiget consilio vel studio ad absolvendum: tertio cum majus bonum obventurum est pœnitenti ex dilatione absolutionis: quarto cum Confessarius indiget certiorari de dispositione pœnitentis. Cum autem de hac dubitatur, & adest necessitas, quod ille accedat ad Communionem, ut contingeret in filio, qui est cum Patre, a quo habet præceptum communicandi, & observatur ab eodem, an communicet, quamvis aliqui doceant ipsum tunc posse absolvi sub conditione, alii tamen dicunt ne ita quidem illum esse absolvendum, sed vel suadendum ipsi, ut aliquod frustulum cibi comedat, si in promptu habeat, ut patri dicere possit se recordatum esse, quod non sit jejunus, vel posse Confessarium docere illum, quod, si sibi videtur posse certo elicere actum contritionis, post illum elicitum accedere potest ad Eucharistiam: quo tamen casu monent debere Confessarium abstinere a consilio, ne reus fiat sacrilegii pœnitentis, si forte ab illo committeretur, sed sistere debere in doctrina relinquendo pœnitenti onus, ut illam sibi applicet, si possit. Hæc tamen distinctio aliis gratis adstrui videtur.

Sed quoniam non semper pœnitentes aperiunt necessaria, ut Confessarius rectum efformet judicium, ideo aliquando tenetur Confessarius illos interrogare. Tenetur autem præcipue, cum judicat pœnitentem vel ex ignorantia, vel ex oblivione, vel ex verecundia non explicare sufficienter peccatum, aut de eo dubitat: rursus cum dubitat de occasione proxima, aut consuetudine peccandi. Et quamvis aliqui putent non teneri Confessarium interrogare pœnitentem de peccato, quod scit omitti ab eodem ex oblivione inculpabili, cum confessio tunc sit formaliter integra, communius tamen dicitur illum teneri, ut confessio sit etiam integra materialiter. Quod si pœnitens neget, & Confessarius sciat peccatum fuisse patratum, nec alibi pœnitentem illud aperuisse, est ipsi neganda absolutio, si tamen id non sciat ex confessione alterius; nam tunc, ut docet Lugo, debet pœnitens absolvi, cum notitia, quam tunc habet Confessarius, non sit evidens utpote deducta ex uno tantum testimonio, unde potius debet credere pœnitenti. In materia vero venerea interrogationes sint paucæ & cautæ.

Ut autem Confessarius rectam in suo tribunali sententiam ferat, requiritur scientia, quæ quidem circa hæc versari debet: I. ut cognoscat peccata saltem sub confusa ratione peccati: II. ut distinguat mortale a veniali, & circumstantias mutantes speciem a non mutantibus: III. ut sciat pertinentia ad obligationem reparandi damna: IV. ut cognoscat casus reservatos: V. ut cognoscat requisita ad rectam absolutionem: VI. ut cognoscat remedia opportuna peccatis. Ubi noto teneri Confessarium ad habendam circa hæc notitiam casuum, qui saltem communius contingere solent, circa vero alios teneri saltem scire dubitare, ut possit pro re nata doctiores consulere.

Confessarius ut Doctor debet instruere pœnitentem, qui indoctus sit circa ea, quæ spectant ad actus fidei, spei, & charitatis, & circa obligationes proprii status, & circa ea, quæ spectant ad

ad rectam Sacramenti susceptionem. Circa pœnitentem versantem in aliquo errore hæc regula est tenenda. Si erret contra se judicans esse peccatum, quod revera non est, debet illum semper Confessarius instruere de veritate; nam sic illum subtrahit ab occasione peccandi ex conscientia erronea. Si vero erret pro se judicando non esse peccatum, quod revera est, subdistinguendum; vel enim error est hic & nunc culpabilis, vel non. Si primum, pœnitens est instruendus (saltem si error sit culpabilis graviter), & hoc vel speretur, vel non speretur emendatio, quia si ipse pœnitens perseverat in tali statu, perseverat in peccato gravi, adeoque est indispositus ad absolutionem. Quod idem proportionaliter dicendum, si pœnitens dubitet de errore (ostenderet autem se dubitare, si E. G. interrogaret Confessarium); tunc enim error est vincibilis, vel saltem maxime ad illum accedit. His tamen casibus magna prudentia & dexteritate opus est in Confessario, ne notitia, quam dat pœnitenti, in majus ipsius damnum ex ejusdem malitia cedat. Vel postea error non est hic & nunc culpabilis, & tunc rursus distinguendum: vel ex instructione prudenter speratur profectus, & tunc est instruendus, vel prudenter non speratur, & tunc præstat illum relinquere in bona fide.

At teneturne Confessarius subire onera pœnitentis, ut restituere pro ipso, adire Superiorem pro absolutione a reservatis, quibus laborat?

℟. Regulariter non teneri, quia onera, ut supponitur, spectant ad pœnitentem: solum autem tenebitur, cum adest magna necessitas, ut id fiat, ad quod tenetur pœnitens, nec potest ipse id exequi, id autem potest Confessarius sine gravi incommodo; tunc enim videtur ad id urgere charitas.

Tandem Confessarius ut medicus tenetur curare sanitatem spiritualem pœnitentis, & idcirco media suggerere opportuna, ut a morbo tum per peccata præterita contracto convalescat, tum per

futura contrahendo præservetur. Hæc remedia alia sunt generalia, ut fuga otii, meditatio Dominicæ passionis, & novissimorum, devotio erga Deiparam, frequentia Sacramentorum, oratio, mortificatio, eleemosyna, & similia: alia particularia pro singulis peccatis, & sunt quæ cum singulis peccatorum speciebus peculiarem oppositionem habent, ut mortificatio carnis, quæ opponitur luxuriæ, eleemosyna, quæ avaritiæ, humiliationes etiam externæ, quæ opponuntur superbiæ &c In his autem suggerendis debet considerare Confessarius circumstantias temporis, personæ &c., ut remedium, quod suggerit, sit aptum nedum in se, sed etiam relate ad subjecta, quibus applicatur: quæ omnia melius ex quadam prudentia practica cognosci poterunt, quam ut valeant regulis comprehendi.

ARTICULUS SEXTUS.

Quid autem si Confessarius in aliquo ex jam dictis muneribus defecit?

℟. Confessarium tunc ut plurimum teneri ad emendandos defectus commissos. Dixi *ut plurimum*; aliquando enim non tenetur. Ut autem cognoscatur quando teneatur, quando non, juvat ita cum Lugo distinguere. Error, qui potest in administratione hujus Sacramenti committi, potest primo versari circa substantiam Sacramenti, ut si Confessarius oblitus sit absolvere pœnitentem: secundo potest cedere in damnum tertii, ut si Confessarius deobligavit pœnitentem a restitutione, ad quam tenebatur: tertio potest esse error, qui nec spectet ad substantiam Sacramenti, nec vergat in damnum tertii, ut si Confessarius omisit interrogare pœnitentem circa speciem peccatorum. Qui rursus errores committi possunt absque culpa, puta ex inadvertentia, & possunt committi culpabiliter.

De erroribus primi generis commissis mala fide regulariter tenetur Confessarius pœnitentem mo-

monere, & ita hos errores corrigere etiam cum proprio gravi incommodo & rubore; ita enim exigit damnum illatum pœnitenti, & nihil ex parte Confeſſarii illum in caſu excuſat. Si vero commiſſi ſint bona fide, illos tenetur Confeſſarius corrigere, cum pœnitens eſt in gravi periculo, ne ſcilicet ſine Sacramento moriatur: ſi autem non ſit in gravi periculo, non tenebitur Confeſſarius cum proprio gravi incommodo & rubore hos errores corrigere, quia ex una parte nullum damnum provenit pœnitenti, qui in proxima confeſſione abſolvetur ſaltem indirecte etiam quoad ea, a quibus prius non fuerat abſolutus, ex alia quod Confeſſarius proceſſerit bona fide, videtur ſufficere, ut non debeat ſubire grave incommodum & ruborem: ex qua eadem cauſa non eſt neceſſe, ut peccata prius manifeſtata directe abſolvantur. Si autem redeat pœnitens ad confitendum, poterit, imo juxta Lugo debebit ſuaviter ipſum inducere Confeſſarius ad repetendam priorem confeſſionem. Adverto etiam, quod cum Confeſſarius oblitus eſt abſolvere pœnitentem, ſi hic adhuc ſit in Eccleſia, & in tali diſtantia, ut moderate loquentem Confeſſarium poſſit audire, ipſe Confeſſarius poterit & debebit ſubmiſſa voce illum abſolvere.

Errores ſecundi generis diſtinguere præſtat in poſitivos, & negativos. Primi habentur, cum Confeſſarius poſitive docet aliquid, ex quo damnum tertii exurgit, ut ſi furem deobligaret a reſtitutione, cum poteſt & debet reſtituere: alii, cum ſimpliciter omittit monitionem neceſſariam ad damnum tertii præcavendum, ut ſi non moneret dictum furem de obligatione reſtituendi. Errores hujus generis poſitivos mala fide commiſſos debet etiam cum gravi incommodo & rubore corrigere Confeſſarius, alias ipſe tenebitur ad reparationem damnorum: ſi vero commiſſi ſint bona fide, tenetur quidem Confeſſarius eos corrigere cum aliquo incommodo, ſed non cum tanto, cum quanto teneretur, ſi mala fide proceſſiſſet, debet enim

ei bona fides aliquatenus patrocinari. Errores vero negativos mala fide commissos debet etiam cum aliquo incommodo corrigere, sed si non corrigat, no tenebitur ad reparationem damnorum, cum non peccaverit contra justitiam, quæ sola trahit secum onus reparationis damnorum, sed tantum contra charitatem. Minus etiam tenebitur, si erravit negative, sed bona fide.

Errores tertii generis & ipsos distinguere oportet in positivos, & negativos proportionaliter ad supra dicta. Errores autem hujus generis positivos si bona fide commissos regulariter non tenetur Confessarius corrigere cum magno incommodo (nisi ex iis sequatur grave damnum ipsi pœnitenti, ut si constitutum in occasione proxima deobligasset ab illa dimittenda); nam, ut supponitur, nullum ex iis sequitur damnum vel relate ad Sacramentum, vel relate ad tertium. Regulariter autem tenetur saltem ex charitate eos errores corrigere, si nullum vel leve solum ex hoc illi obveniat incommodum. Si autem mala fide commissi sint, tenebitur Confessarius majorem adhibere diligentiam, ut tollantur, non autem tantam, quantam si error versaretur circa substantiam Sacramenti, aut cederet in damnum pœnitentis, vel tertii. Quoad errores negativos valeant quæ dixi circa positivos, ita tamen ut minor semper censeri debeat obligatio eos tollendi.

Cum autem a Confessario corrigendus est error commissus, si necesse sit loqui cum pœnitente de auditis in confessione, petenda est ab eo licentia, & si hæc non obtineatur, Confessarius ad nihil ultra tenebitur. Hæc autem licentia non requiritur, cum simpliciter est manifestandus defectus absolutionis ex parte Sacerdotis, puta quia ipse oblitus est absolvere; nam tunc non debet haberi sermo de auditis in confessione.

ARTI-

ARTICULUS SEPTIMUS.

Agendum tandem de Confessariis sollicitantibus pœnitentès ad turpia.

Circa hos adest Bulla Gregorii XV. confirmata & ampliata a Benedicto XIV. (*a*) in qua jubetur *Sacerdotes tam saeculares, quam regulares, quicumque sint, qui vel in actu sacramentalis confessionis, vel immediate ante, vel immediate post confessionem, vel occasione vel prætextu confessionis, vel etiam extra occasionem confessionis in confessionali, sive in alio loco ad audiendas confessiones destinato aut electo cum simulatione ibidem confessiones audiendi ad inhonesta & turpia sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda sollicitare, vel provocare sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam aut tunc aut postea legendam tentaverint, aut cum eis illicitos & inhonestos sermones, vel tractatus habuerint, denunciari a pœnitentibus ad Tribunal Inquisitionis, vel ad Ordinarium*. In his ergo casibus pœnitentes tenentur ad denunciationem Confessarii sollicitantis, ita ut non possint absolvi, nisi prius denunciaverint, vel saltem promittant se, cum primo potuerunt, denunciaturos. De hoc autem onere tenetur Confessarius sub gravi pœnitentem monere, aliter puniri potest a sacra Inquisitione.

Circa hanc vero obligationem hæc videntur præcipua annotatione digna. Sunt denunciandi soli Sacerdotes, quos certum sit sollicitasse in aliqua ex dictis circumstantiis, aut saltem de hoc fortes conjecturæ habeantur, aut valida præsumptio; in casu enim simplicis dubii est interpretanda mens Sacerdotis in bonam partem, sicque non est denunciandus. Viget autem obligatio hæc de-

---

(a) *Constitut.* Sacramentum Pœnitentiæ.

nunciationis etiam cum Sacerdos, qui sollicitavit, caret jurisdictione, & etiam cum sollicitatio inter pœnitentem & Confessarium fuit mutua, & vel pœnitens consenserit, vel non, & quamvis longum tempus effluxerit post sollicitationem, aut sollicitatio facta sit a Confessario non pro se, sed pro alio.

Denunciandus est etiam Confessarius, qui in aliqua ex dictis circumstantiis dicit vel facit aliquid, quod etsi non sit de se sollicitativum, est tamen moraliter connexum cum sollicitatione postea habita. Sit exemplum. Confessarius præcipit pœnitenti, ut tali die & hora adeat tale Templum ad explendam pœnitentiam: si ibi reperiatur Confessarius, & eum sollicitet, est denunciandus, quia præceptum factum a Confessario in confessione de tali visitatione præsumitur factum in gratiam sollicitationis faciendæ, adeoque cum illa connectitur. Secus esset, si nec determinasset diem, nec horam; nam tunc censeretur fortuitus occursus Confessarii, adeoque præceptum in confessione impositum non censeretur moraliter connexum cum sollicitatione. Rursus est denunciandus ex eadem ratione Confessarius, qui in aliqua ex dictis circumstantiis petit a pœnitente, ubinam habitet, & deinde post aliquot dies nullo alio habito motivo illum adit, ac sollicitat; prior enim petitio videtur moraliter conjuncta cum sollicitatione.

Sollicitatio dicitur facta immediate ante vel post confessionem, si inter ipsam & confessionem nihil mediet, quod eas moraliter disgreget. Si ergo E. G. Confessarius post auditam confessionem dicat pœnitenti: expecta me paulisper, deinde discedens ac postea rediens eum sollicitet, est denunciandus, quia licet physice sit, moraliter tamen non est disgregata sollicitatio a confessione: secus si essent moraliter disgregatæ.

Cum dicitur esse denunciandum, qui sollicitat occasione confessionis, id valet etiam de occasione solius petitionis confessionis, unde si hanc fœmina petat, & Confessarius etiam protestatus

se

se nolle eam audire, eandem sollicitet, est denunciandus.

Prætextus in eo differt ab occasione confessionis, quod hæc respicit confessionem veram, ex qua vel ex cujus petitione Confessarius desumit motivum sollicitandi, ille vero respicit confessionem simulatam seu fictam; assumitur enim fictio confessionis ad tegendam sollicitationem. Si ergo Confessarius E. G. pergat ad infirmam, specie tenus ut audiat illius confessionem, sed postea eam sollicitet, est denunciandus, quia ipse assumpsit prætextum confessionis, ut sollicitaret. Plures tamen volunt non esse locum denunciationi, cum prætextus non est immediate conjunctus cum sollicitatione, ut si E. G. Religiosus peteret a Superiore licentiam exeundi domo allegans motivum confessionis infirmæ, quamvis animo eundi ad fornicandum; tunc enim prætextus immediate respicit non fornicationem, sed egressum e domo. Aliqui etiam volunt prætextum confessionis obligantem ad denunciationem in casu sollicitationis debere se tenere ex parte Confessarii, ita scilicet ut ipse prætextum confessionis assumat ad sollicitandum. Ex quo inferunt quod, si Confessarius vocatus ad audiendam confessionem infirmæ, bona fide ad eam pergat, & postea ab ipsa, quæ assumpsit prætextum confessionis, ut cum Confessario peccet, sollicitetur ad turpia, etsi ipse consentiat, non est denunciandus. Verum etiam omisso, quod non sit ex hoc capite denunciandus, difficile videtur, quod non sit denunciandus ex alio, ex simulatione scilicet confessionis in loco electo ad audiendam confessionem, qualis est in casu domus & cubiculum suppositæ infirmæ.

Esse denunciandum, qui in confessione dat pœnitenti chartam postea legendam, in qua eum ad turpia invitat, & definitum est a Benedicto XIV. (*a*), & constat ex damnatione facta ab Alexan-

(a) *Constitut. laudata.*

xandro VII. (*a*)*: Confeſſarius, qui in ſacramentali confeſſione tribuit pœnitenti chartam poſtea legendam, in qua ad venerem incitat, non cenſetur ſollicitaſſe in confeſſione, ac proinde non eſt denunciandus.*

Controvertitur, an ſit denunciandus, qui pœnitentem ſollicitavit in aliqua ex dictis circumſtantiis per actus leviter tantum peccaminoſos, ut E. G. leviter contrectando ipſius manus. Negant plures ob ſuppoſitam parvitatem materiæ, ſed plures, & quidem probabilius contradicunt; nam hi actus ob irreverentiam in Sacramentum evadunt graves: favet etiam praxis Inquiſitionis.

An ſit denunciandus qui aliquo ex dictis caſibus laudat pulchritudinem pœnitentis, colligendum ex circumſtantiis; ſi enim nulla adſit rationabilis cauſa id faciendi, videtur denunciandus, cum hæc laus tunc videatur provocatio ad turpia. Si vero E. G. laudetur pulchritudo, ut inſinuetur neceſſitas cautelæ in pœnitente, imprudens quidem erit Confeſſarius, ſed non denunciandus. Idem dicendum de muneribus traditis pœnitenti in dictis caſibus; nam ex circumſtantiis dignoſci debet finis, ad quem traduntur, & cohærenter ad hanc cognitionem vel facienda, vel omittenda denunciatio.

Cum conſtitutiones tam Gregorii, quam Benedicti non loquantur niſi de Sacerdotibus ſollicitantibus, hinc ſi in dictis circumſtantiis alius non Sacerdos ſimulans ſe Confeſſarium ſollicitet, non eſt denunciandus ex vi earumdem conſtitutionum, ſed eſt denunciandus ex alio capite, ſcilicet ex vi edicti ſacræ generalis Inquiſitionis, quod per extenſum refert Felix Poteſtas (*b*), ubi præſcribun-

(a) 6.
(b) *Tom.* 4. *p.* 1. *n.* 226.

buntur denunciandi, qui, cum non ſint Sacerdotes, *Sacramentum Pœnitentiæ miniſtraverint, etſi ad actum abſolutionis non devenerint*. Ex quo eodem edicto eſt denunciandus & interpres confeſſionis, ſi ſollicitet, & qui mandat Confeſſario, ut ſollicitet, cum ibi decernatur denunciandus quicumque abutitur Sacramento Pœnitentiæ, utendo confeſſione & confeſſionali ad fines inhoneſtos ſollicitando in ipſis pœnitentes ad turpia, & habendo cum ipſis ſermones de illicitis, & non convenientibus fini hujus Sacramenti. Ex eodem etiam edicto aliqui dicunt denunciandum, qui in confeſſione ſollicitaret ad alia peccata diverſæ ſpeciei ab inhoneſtis, ſed plures alii ſentiunt oppoſitum.

Cauſæ excuſantes a denunciatione ſunt primo ſi ſollicitans ſit mortuus: ſecundo ſi prudenter timeat pœnitens grave damnum vel vitæ, vel famæ, vel bonorum fortunæ ſibi aut conjunctis ſuis ex denunciatione: ubi tamen recte monet Cozza in hoc caſu debere Confeſſarium, cui pœnitens ſollicitationem ſibi ab alio factam manifeſtat, conſulere Ordinarium aut Inquiſitores, ut examinent difficultatem, & definiant quid agendum. Si conſtet Confeſſarium jam eſſe emendatum, vel ab aliis fuiſſe denunciatum, & abjuraſſe peccatum, docent aliqui non eſſe denunciandum, quia obtentus eſt finis denunciationis, ſcilicet emendatio Confeſſarii. Cum tamen ex una parte difficile ſit emendationem cognoſcere, ex alia quælibet denunciatio majus lumen afferat Inquiſitoribus, & rurſus fortaſſe nova pœna ſit ſtatuenda ob novam ſollicitationem, hinc in praxi ſollicitatus non excuſabitur ab onere denunciandi. Imo laudatus Cozza affert decretum R. Inquiſitionis, quo ſtatutum eſt ſententiam excuſantem ab hoc onere in caſu neque eſſe probabilem. Non autem excuſat a denunciatione facienda prætextus correctionis fraternæ præmittendæ, ut declaravit Alexander VII. (*a*). aut conſenſus ipſius pœnitentis in

(a) *Conſtitut.* licet.

in sollicitationem ; non enim tenetur pœnitens se prodere, sed unice Confessarium denunciare : aut quod pœnitens confiteatur apud sollicitantem, qui cum non teneatur imponere pœnitenti, ut se ipsum denunciet, obligatio a nullo imponetur ; nam licet pœnitens non obligetur a Confessario, obligatur tamen a Summo Pontifice, unde merito damnata est ab Alexandro VII. propositio (*a*): *Modus evadendi obligationem denunciandæ sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante : hic potest ipsum absolvere absque onere denunciandi*. Quod si denunciatio difficulter possit fieri, quia E. G. hæc facienda est a puella, quæ semper adhæret matri, poterit Confessarius ab ea petere licentiam recurrendi ad Inquisitores, ut obtineat facultatem recipiendi denunciationem servata forma, quam ipsi suggerent idem Inquisitores. Hæc eadem facultas Confessario potest tribui, si pœnitens nullatenus adduci possit, ut Judicibus competentibus denunciet sollicitationem. Et si nec possit obtineri, ut denunciet sollicitationem apud Confessarium, recurrendum erit ad Summum Pontificem, & interim neganda pœnitenti absolutio utpote indisposito.

CAPUT SEPTIMUM.

De satisfactione Sacramentali.

Explicabo 1. naturam & effectus hujus satisfactionis: 2. obligationes Confessarii in ordine ad illam imponendam : 3. obligationes pœnitentis in ordine ad ipsam implendam.

ARTICULUS PRIMUS.

Nomine *Satisfactionis sacramentalis* venit pœnitentia imposita a Confessario ob peccata manife-

---

(a) 7.

festata, dum ministrat Sacramentum Pœnitentiæ. Hæc est pars Sacramenti tantum integralis, unde hoc potest esse validum sine illa in re adimpleta, licet essentialis ipsa quodammodo dici possit in voto, quatenus includitur in proposito adimplendi proprias obligationes, inter quas est etiam obligatio complendi satisfactionem.

Effectus satisfactionis non est nova gratia sanctificans ex opere operato, quia tota gratia sanctificans correspondens Sacramento est antecedenter causata per absolutionem. Probabilius tamen satisfactio ex opere operato confert quasdam gratias actuales opportune dandas contra relapsum in peccata, saltem cum Pœnitentia est medicinalis. Cæterum præcipuus satitfactionis effectus est remittere ex opere operato aliquam pœnam debitam culpis jam dimissis; ad hunc enim præcipue finem imponitur.

ARTICULUS SECUNDUS,

Confessarius per se tenetur imponere pœnitentiam sub gravi, si agatur de mortalibus, & hoc ad perfectionem Sacramenti. Hæc autem ratio cum æque militet pro venialibus, probabile aliquibus videtur Confessarium sub gravi etiam relate ad hæc teneri imponere pœnitentiam. Alii tamen reclamant dicentes quod, sicuti pœnitens non tenetur sub gravi implere pœnitentiam pro venialibus, ita nec Confessarius imponere, quæ quidem ratio (admisso, quod pœnitens in casu sub gravi non teneatur, de quo infra) magnam habet vim.

Dictum est Confessarium *per se* teneri &c.; aliquando enim non tenetur, ut si pœnitens sit morti proximus, nec ullam possit implere satisfactionem: si possit ex signis a pœnitente exhibitis judicari ipsum pro peccatis satisfecisse: si pœnitens lucratus sit Indulgentiam plenariam; in primo enim casu excusat impotentia, in aliis carentia materiæ satisfactionis, scilicet ablatio

pœ-

pœnæ (& tunc dicendum ipsam confessionem dolorosam vel Indulgentiam supplere locum pœnitentiæ). In praxi tamen, cum vix possit Confessarius certo sibi suadare remissam fuisse pœnitenti totam pœnam, cumque vix fieri possit, ut pœnitens non egeat pœnitentia, saltem quatenus est medicinalis, ideo vix dabitur casus, in quo aliqua pœnitentia non sit injungenda. Imo etiam in articulo mortis curandum est, ut moribundus saltem corde proferat in satisfactionem nomina Jesus & Mariæ.

In injungendis pœnitentiis debet Confessarius considerare conditionem & criminum & pœnitentis. Hinc pro gravibus criminibus gravis quoque injungenda est pœnitentia, pro levibus levis, & diversæ sunt injungendæ pœnitentiæ pro diversitate pœnitentium: & sic E. G. Artificibus corporaliter laborantibus non debent imponi graves corporis macerationes, quæ aliis imponi possunt, pauperibus nou sunt imponendæ eleemosynæ, quæ possunt imponi divitibus &c.

Aliquando tamen Confessarius potest pro gravibus culpis levem pœnitentiam injungere, scilicet I. cum pœnitens est infirmus, & nonnisi levem pœnitentiam potest implere, quod est etiam intelligendum de infirmitate animi, qua censetur non impleturum pœnitentiam gravem. II. Si hic ostendat magnum dolorem de propriis peccatis; nam tunc minorem quoque ab illo Deus exigit pœnam. III. Si pœnitens consueverit ultro plura opera satisfactoria exercere; nam ipse supplet parvitati pœnitentiæ: quo tamen casu præstabit hæc eadem opera imponere in pœnitentiam IV. Si per impositionem levis pœnitentiæ speret alliciendum pœnitentem ad frequentiam Confessionis; compensatur enim tunc defectus pœnitentiæ ab hac alia utilitate inde resultante. V. Si injungat pœnitenti, ut lucretur Indulgentiam, quia hæc æquivalet magnæ satisfactioni. Ubi noto, quod in dubio, an satisfactio sit minor culpa, nec ne, consultissimum est imponere pœnitenti, ut lu-

lucretur Indulgentiam, qua omnis inæqualitas auferatur. Adverto tamen in adductis casibus facilius minui posse pœnitentiam qua satisfactoriam, quam qua medicinalem juxta inferius dicenda.

Opera in satisfactionem injungenda reducuntur ad *jejunium*, quo nomine comprehenduntur omnia opera laboriosa & afflictiva, ad *eleemosynam*, quo nomine comprehenduntur omnia opera misericordiæ, ad *orationem*, quo nomine comprehenduntur omnia opera immediate ad divinum cultum spectantia. Curare autem debet Confessarius, ut opera injungat nedum satisfactoria pro culpa præterita, sed etiam præservativa a futura, & quæ proinde sint etiam medicinalia. Præscribi absolute possunt opera mere interna, sed consultius imponuntur etiam externa utpote magis proportionata sensibilitati Sacramenti. Possunt quoque præscribi opera alioquin debita: cæterum ordinarie præscribuntur opera supererogationis, unde hæc imponi semper præsumendum est, nisi contrarium exprimatur. Probabilius possunt præscribi opera pro Defunctis; hoc enim fieri potest, vel ita ut impetratio operum Defunctis applicetur, & satisfactio pœnitentibus, vel ut satisfactio operum prosit Defunctis, satisfactio vero voluntatis operum faciendorum prosit pœnitentibus, vel ut satisfactio ex opere operantis sit pro Defunctis, ex opere operato pro pœnitentibus: eo proportionaliter modo, quo si concedatur vivis Indulgentia sub onere operum pro Defunctis faciendorum, talia opera juvant Defuncto ex opere operantis, & viventes veluti ex opere operato. Cæterum in praxi consultius imponitur aliquid pro ipso inmediate pœnitente satisfactorium. Tandem imponi etiam potest opus per alium ponendum, hoc sensu quod pœnitens teneatur curare, ut alius tale opus faciat; hæc enim procuratio & ipsa est satisfactoria.

Pœnitentiam semel impositam potest qui imposuit commutare etiam extra confessionem, dummodo id faciat ex causa rationabili, & ex consensu

su pœnitentis. Licet autem hæc commutatio tunc fiat extra confeſſionem, pertinet tamen ad integritatem prioris judicii, saltem si fiat brevi post confeſſionem habitam. Ubi tamen adverto debere Confeſſarium recordari saltem confuse peccatorum præteritorum, ut illis adæquet novam pœnitentiam, ad quam notitiam conducet etiam aliquo modo prior pœnitentia imposita. Quod relate ad commutationem pœnitentiæ potest Confeſſor, qui confeſſionem prius audivit, potest etiam alius ejusdem auctoritatis; hic enim potest novum de iisdem peccatis instituere judicium: id tamen probabilius potest solum in actu confeſſionis; non enim pro hoc valet ratio supra allata, quod scilicet poſſit complere prius judicium, cum judicium ad commutandam pœnitentiam institutum aliud sit a priore. Adverto etiam semper expedire, ut Confeſſarius relinquat aliquid implendum ex priore pœnitentia, ut sic cum minori difficultate salvetur integritas prioris Sacramenti. Utrum vero requiratur, ut posteriori Confeſſario manifestentur peccata, pro quibus prior pœnitentia imposita fuit, litigant Doctores. Negant plures, quia videtur valde onerosum pœnitenti repetere confeſſionem peccatorum, sed probabilius est Confeſſarium posteriorem cognoscere debere saltem confuse peccata, pro quibus novam imponit pœnitentiam, ne cæco modo procedat.

Est etiam sententia probabilis, quod nedum poſſit pœnitentia commutari a Confeſſario ejusdem auctoritatis cum priore, sed etiam a Confeſſario auctoritatis minoris, ut si E. G. pœnitentia imposita sit pro reservatis ab habente facultatem super illa, hæc probabiliter potest commutari a Confeſſario non habente facultatem supra reservata; nam dicunt Auctores hujus sententiæ, reservatio in absolutione præcedente fuit sublata, unde hic & nunc secundus Confeſſarius perinde est, ac primus in ordine ad eadem peccata: & hoc eo vel maxime, quod regulam pro opportuna pœnitentia injungenda illi suppeditet

&

& cognitio peccatorum, quæ juxta superius dicta in illo requiritur, & cognitio extensionis atque intensionis primæ pœnitentiæ.

Hæc tamen sententia a pluribus aliis rejicitur; nam inquiunt hi, licet priore absolutione ablata sit reservatio, hoc solum probat peccata posse denuo absolvi a simplici Confessario, non autem quod hic possit mutare sententiam latam a Confessario priore, qui posteriore est superior; regula enim generalis est, quod inferior nihil potest in lege superioris. Addunt quod, si Confessarius simplex posset commutare pœnitentiam, in casu elideretur saltem ex parte finis reservationis, qui etiam est, ut congrua pro reservatis non a quocumque Confessario, sed tantum a dignioribus imponatur pœnitentia. Hæ duæ sententiæ fortasse aliquo modo conciliari possent ita distinguendo: vel gravis adest necessitas commutandi pœnitentiam, & est difficilis recursus ad superiorem, vel non. Si primum, videtur admittenda prima sententia ex præsumpta voluntate ejusdem superioris, qui in bonum pœnitentis censetur in casu concedere licentiam Confessario inferiori, ut mutet pœnitentiam a se impositam: si alterum, videtur adhærendum secundæ, tum quia supradicta voluntas superioris tunc non potest præsumi, tum ob rationes supra pro eadem secunda sententia adductas.

ARTICULUS TERTIUS.

Pœnitens tenetur sub gravi acceptare & adimplere pœnitentiam pro gravibus non antea manifestatis impositam quia per grave præceptum imponitur. Nec excusatur ex quo ipse velit solvere pœnam in Purgatorio; nam non est in sua potestate se eximere a præcepto Confessarii, præcipue cum hoc respiciat integritatem Sacramenti. Solum excusabitur, si pœnitentia sit nimis ardua & indiscreta, quo casu debet [illegible] Confessarius, vel alius eandem commutare [illegible]

le quoque est teneri pœnitentem sub gravi acceptare & adimplere pœnitentiam gravem impositam vel pro venialibus, vel pro mortalibus alias confessis, quia hæc censetur semper imponi sub gravi, sed probabile est etiam oppositum; nam non videtur præceptum grave, quod supponit materiam pœnitentiæ non necessariam. Levem autem pœnitentiam pro levibus aut gravibus alias confessis impositam non tenetur pœnitens adimplere nisi sub levi; nam præceptum Confessarii non videtur nisi leve, & videtur aliquatenus suppleri defectui satisfactionis, adeoque integritati Sacramenti per spontaneam confessionem.

Tenetur etiam pœnitens adimplere pœnitentiam tempore a Confessario statuto, si hoc statutum sit, ita tamen ut etiam in hoc dari possit parvitas materiæ, & si pœnitens non impleat tempore statuto, non proinde debeat censeri deobligatus, nisi constet pœnitentiam ita fuisse illi tempori affixam, ut non debeat vigere pro alio. Si vero tempus non sit statutum, distinguendum inter pœnitentiam medicinalem, & pure vindicativam. Priorem debet, cum primum poterit, pœnitens implere, alias privatur medio a Confessario statuto, ne relabatur: aliam, si per aliquod dummodo non valde longum tempus differat, non peccabit saltem graviter.

Non requiritur, ut pœnitentia impleatur ante absolutionem; nulla enim apparet hujus impletionis necessitas, præcipue cum ante absolutionem debeat haberi intentio pœnitentiam implendi. Et hic merito damnatæ sunt ab Alexandro VII. hæ propositiones: (a) *Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex, & præscriptio natura rei idipsum quodammodo dictan-*

(a) 16.

ſtante : & : (*b*) *Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu.*

Non poteſt pænitens sibi commutare propria auctoritate pænitentiam in aliud vel æque bonum, vel melius, nam quod hoc potius, quam illud præſtandum sit, non dependet a voluntate pænitentis, sed Confeſſarii. Ex quo patet, quare vovens poſſit sibi commutare votum in aliquid melius, non autem id poſſit pænitens relate ad pænitentiam; nam illud originem habet tantum a voventis voluntate, quæ ideo se obligavit, quia putavit opus, quod vovit eſſe gratum Deo, unde in concurſu operis gratioris poteſt hoc eligere omiſſo priore: hoc autem non habet originem a voluntate pænitentis, sed Confeſſarii, qui hoc, & non aliud opus impoſuit. Quod si pænitens oblitus sit ad quid teneatur; debet interrogare Confeſſarium, si commode poſſit, secus per accidens ratione ignorantiæ ad nihil tenebitur; durum enim videtur, ut denuo teneatur confiteri ad subeundam pænitentiam.

Probabilius videtur, quod opus pro pænitentia impoſitum debeat poni cum animo adimplendi pænitentiam, ut salvetur ordo, quem debet habere ad Sacramentum satisfactio. Non tamen abnuerem sufficere intentionem, quam habuit pænitens, dum acceſſit ad Sacramentum, & dum pænitentiam acceptavit, etsi poſtea, dum ponit opus satisfactorium, non recordetur illud fuiſſe sibi impoſitum a Confeſſario. Si pænitentia adimpleatur in lethali, satisfit præcepto, ipsa tamen sic adimpleta non tollit reatum pœnæ, cum inimico Dei nulla pœna remittatur, quamvis probabiliter remoto obice ipsa pœnitentia reviviscat.

Non

(a) 18.

Non poteſt pœnitens propria auctoritate ſibi ſubſtituere alium, qui loco ipſius pœnitentiam impleat: tunc enim non implebit præceptum Confeſſarii; & proinde merito damnata eſt ab Alexandro VII. propoſitio: (*a*) *Pœnitens propria auctoritate ſubſtituere ſibi alium poteſt, qui loco ipſius pœnitentiam adimpleat*. Ubi tamen non prohibetur, ne E. G. Dominus eleemoſinam ſibi in pœnitentiam impoſitam eroget per ſervum; quod hic attenditur, non eſt materialis illius exhibitio, ſed privatio pecuniæ, quæ non de ſervo, ſed de Domino verificatur. Docet præterea Suarez non eſſe prohibitum pœnitenti alium ſubſtituere ad implendam pro ſe pœnitentiam, ſi id fiat de conſenſu Confeſſarii; nam tunc pœnitens non tranſgreditur illius præceptum, nec fraudatur fructu ſatisfactorio, cum, ut ſupponitur, ſubſtitutus pro ſubſtituente ſatisfaciat. Monet tamen hunc morem ſatisfaciendi pro alio in Eccleſia non adhiberi, adeoque Confeſſarium non debere hoc permittere.

CAPUT OCTAVUM.

De Indulgentiis.

AGitur hic de Indulgentiis, utpote quæ maximam cum ſatisfactione connexionem habent. Exponam ergo 1. quid ſit Indulgentia: 2. quotuplex ſit: 3. quinam poſſit eas concedere: 4. quinam poſſit eas lucrari, & quænam conditiones ad id requirantur: 5. agam de Jubilæo.

ARTICULUS PRIMUS.

Indulgentia definitur *relaxatio pœnæ temporalis debitæ peccato actuali jam dimiſſo quoad cul-*

(a) 15.

culpam, quæ relaxatio ſit coram Deo virtute clavium extra Sacramentum, Sacrificium, & Martyrium ex ſatisfactionibus theſauri Eccleſiæ.

Dicitur *relaxatio pœnæ temporalis*; cum enim dimiſſo peccato quoad culpam tollatur quidem ſemper reatus pœnæ æternæ, ſi peccatum dimiſſum erat lethale, ſed ſubinde remaneat reatus pœnæ temporalis, ut probavi alio loco. Indulgentia conſiſtit in remiſſione ſive totali, ſive partiali hujus pœnæ. Ex quo patet pœnam æternam nunquam remitti per Indulgentias, quia hæc nunquam ſit per Indulgentiam, ſed ſolum ſupponitur, cum hæc non ferat ſecum iufuſionem gratiæ, qua ſola peccatum tollitur.

Ex his patet ſenſus ſequentium: *debitæ peccato actuali dimiſſo quoad culpam.*

Dicitur *coram Deo*. Ad intelligentiam noto plures eſſe pœnas, quibus homo per peccatum obnoxius ſit: primo aliæ ſunt pœnæ, ut ſic dicam, naturaliter conſequentes originale, ut mors, concupiſcentia &c., aliæ conſequentes actuale. Et hæ ſubdividuntur; aliæ enim infliguntur immediate ab humana publica & politica poteſtate in foro externo, ut eſſet carcer, exilium &c., aliæ infliguntur ab Eccleſia vel in foro interno & ſacramentali, vel etiam in foro externo pœnitentiali juxta veterem conſuetudinem publicarum pœnitentiarum. Alias tandem ipſe immediate Deus pro peccato infligit vel in hac, vel in alia vita, ut eſt E. G. Purgatorium. Certum eſt primam pœnarum ſpeciem non tolli per Indulgentias, cum ab illis non ſimus liberandi, niſi cum per reſurrectionem glorioſam *mortale hoc induerit immortalitatem*. Certum pariter eſt per Indulgentias nos non liberari a pœnis ſecundæ ſpeciei; poteſtas enim Eccleſiaſtica quoad Indulgentias non attingit poteſtatem politicam fori externi, alias judicia confunderentur, & periclitaretur bonum publicum, cui providetur per punitionem peccatorum.

Quoad pœnas vero injunctas in foro interno & sacramentali, uno verbo quoad sacramentales pœnitentias, hæ vel sunt medicinales, & ab his non liberat Indulgentia, alias potius ipsa noceret, quam prodesset, cum ita hominem privaret utilitate ab ipsa medicina proveniente: vel sunt mere pœnales, & ab his per se liberat Indulgentia vel totaliter, vel partialiter pro conditione ejusdem Indulgentiæ; nam & hoc suadet usus antiquæ Ecclesiæ, quæ per Indulgentias remittebat pœnas injunctas pœnitentibus, ut E. G. per Indulgentiam septem annorum pœnas, quæ per septem annos erant tolerandæ: & etiam suadet quod ad hoc sunt Indulgentiæ institutæ. Cum autem fere semper sacramentales pœnitentiæ sint etiam medicinales, hinc de facto raro ab illis Indulgentia liberat. Et hinc fert modernus usus Ecclesiæ, ut etiam tempore Indulgentiæ aliqua licet levior pœnitentia imponatur, qui quidem usus ex eo etiam absolute est retinendus, quia licet Indulgentia per se liberet ab onere satisfactionis sacramentalis auferendo ipsius satisfactionis fundamentum, quod est reatus pœnæ, adhuc tamen, cum hæc ablatio totaliter non fiat nisi per Indulgentiam plenariam, cumque acquisitio Indulgentiæ plenariæ nunquam sit certa, nunquam consequenter certa videtur ablatio fundamenti satisfactionis sacramentalis, & propterea videtur semper subsistere præceptum integritatis Sacramenti, quæ exigit satisfactionem sacramentalem. Quod dictum est de pœnitentiis sacramentalibus, dicendum etiam de aliis pœnitentiis canonicis, quæ olim in Ecclesia adhibebantur.

At nedum hæ remittuntur per Indulgentias, sed illæ etiam pœnæ, quæ immediate infliguntur a Deo. In hoc dissentiunt a nobis Novatores; Lutherus enim vult per Indulgentias non remitti pœnas, quæ a Deo immediate infliguntur, sed solum inflictas ab Ecclesia: Catholici è contra docent remitti etiam pœnas, quæ, ut sic dicam in foro Dei essent luendæ, & quæ relaxarentur,

si

si pœnitens subiret pœnalitates, quæ ab Ecclesia imponuntur, ita ut si E. G. pœnitenti fuisset imposita ab Ecclesia pœnitentia unius anni, quam implendo se exemisset a tali vel tali quantitate pœnarum a Deo immediate ipsi infligendarum, lucrando Indulgentiam unius anni nedum eximatur ab onere complendi illum annum pœnitentiæ, sed tanta pœna illi a Deo remittatur, quanta remitteretur, si talem pœnitentiam per annum complevisset.

Rem autem ita esse suadetur; nam si per Indulgentias pœnæ tantum remitterentur, quas exigit Ecclesia a peccatoribus, jam potius illæ nocerent, quam prodessent, cum integer tunc remaneret reatus pœnæ coram Deo solvendæ, qui tamen reatus, si pœna ab Ecclesia imposita esset subeunda, tolleretur. Præterea non possent concedi Indulgentiæ pro Defunctis, qui nullis amplius pœnis Ecclesiasticis subjecti sunt. Et jam patet quid indicetur per illas particulas in definitione positas: *coram Deo*.

Dicitur *virtute clavium*; nam potestas concedendi Indulgentias oritur a clavibus datis Ecclesiæ a Christo, dum inquit Petro: (a) *Tibi dabo claves Regni Cælorum*; si enim Ecclesia habet has claves, potest solvere omnia vincula impedientia ingressum in illud Regnum, quale est reatus pœnæ.

Dicitur *extra Sacramentum*, *Sacrificium*, & *Martyrium*; nam remissio pœnæ aliquando fit in Sacramento, puta cum confertur Baptismus, in quo tota remittitur culpa & pœna, & hæc remissio non est proprie Indulgentia, de quo hic agitur: nec est Indulgentia talis remissio, quæ fit per Sacrificium, aut per Martyrium modo propriis locis indicato. Indulgentia ergo importat, ut fiat talis remissio extra Sacramentum, Sacrificium,

(a) *Matt.* 16.

ficium, & Martyrium per hoc, quod Ecclesia alicui applicet satisfactiones Christi & Sanctorum in thesauro ipsius contentas: & hoc est, quod indicant sequentes particulæ *per satisfactionem thesauri Ecclesiæ*, quæ quidem particulæ ut funditus intelligantur

Noto in actionibus supernaturalibus justorum reperiri inter alia valorem satisfactorium respicientem relaxationem pœnæ temporalis debitæ peccato. De eleemosyna sane dicitur: (a) *Eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat*, quod indicat ipsam esse satisfactoriam. Jejunium pariter est satisfactorium, ut constat ex facto Ninivitarum (b): & de omnibus generatim pœnitentiæ operibus dicit S. Cyprianus (c) *Qui sic Deo satisfecerit, qui pœnitentia facti sui, qui pudore delicti sui plus & virtutis & fidei de ipso lapsus sui dolore conceperit, exauditus & adjutus a Domino, quam contristaverat, nuper latam facit Ecclesiam, nec jam solum Dei veniam merebitur, sed coronam*. Hic asserit hæc opera esse satisfactoria, quatenus per illa obtinetur venia. Accedit ratio; nam in omni opere bono adest difficultas aliqua: quæ debet superari in illo exercendo. Huic difficultati correspondet valor satisfactorius. Ergo &c. Hic autem valor potest alteri applicari, cum Deus contentus sit, ut alter pœnalitate alicujus operis boni compenset pœnam alteri debitam.

His positis cum in operibus bonis Christi fuerit valor satisfactorius, & quidem infinitus, cumque ipsi nulla esset debita pœna, patet hunc valorem respectu illius otiosum remansisse. At non remansit otiosus respectu nostri, cum has satisfactiones obtulerit pro nobis, & earum reliquerit in Ecclesia thesaurum infinitum.

Hunc porro thesaurum ingrediuntur etiam satisfactiones B. Virginis & aliorum Sanctorum, qui plus

(a) *Tob.* 4. (b) *Jo ultim.*
(c) *De lapsis*.

plus passi sunt, quam eorum peccata requirerent; nam ex una parte certum est Beatam Virginem nunquam peccasse, & tamen plurima opera satisfactoria exercuisse: alii Sancti fuerunt, qui vix levissime peccarunt, qui tamen & ipsi plura opera satisfactoria exercuerunt. Horum operum valor satisfactorius, qui pro ipsis fuit inutilis, talis non debuit esse pro aliis stante præcipue Communione Sanctorum, quæ in Ecclesia viget. Nil ergo mirum, si voluerit Deus, ut hæ etiam satisfactiones thesaurum Ecclesiæ ingrederentur. Nec dicas injuriam fieri Christi satisfactionibus, si asseratur hunc thesaurum ingredi etiam satisfactiones Sanctorum, quasi satisfactiones Christi non fuerint sufficientes; nam & nos fatemur Christi satisfactiones esse sufficientes, quia tamen ideo excludantur satisfactiones Sanctorum ipso Christo sic volente ad ipsorum gloriam, quæ tandem in gloriam illius recidit: quomodo, licet potentia Dei sit sufficiens ad operandum, non excluditur concursus causarum secundarum Deo ipso sic volente cooperantium, & licet Christi merita sint ad salutem nostram sufficientia, non excluditur Christo sic volente necessitas orationum, bonorum operum &c. Jure igitur extare hunc thesaurum in Ecclesia ex satisfactionibus Christi & Sanctorum constantem expresse docet Clemens VI. (*a*).

Hic autem thesaurus cum sit relictus Ecclesiæ, in ipsius bonum cedere debet. Poterit ergo ex hoc thesauro aliquid fidelibus distribui & applicari, quomodo ex bonis communibus Reipublicæ aliquid potest civibus distribui: attento præcipue influxu Christi ut capitis in omnes fideles, qui sunt ipsius membra, & attenta supradicta Communione Sanctorum, quæ importat, ut fideles de bonis spiritualibus aliorum fidelium participes sint, unde sicuti unus fidelis proprias satisfactiones po-

 test

(a) *Extravag.* Unigenitus *de Pœnit. & remiss.*

test alteri appli are, ita possunt singulis applicari satisfactiones Christi & Sanctorum.

Usus Indulgentiarum in Ecclesia est antiquissimus; ut enim omittam, quod primis Ecclesiæ sæculis intuitu Martyrum dabantur pœnitentibus libelli Indulgentiarum, constat præterea Indulgentias fuisse concessas a S. Gregorio Magno, a Leone III., a Sergio I. & aliis videndis apud Auctores.

ARTICULUS SECUNDUS.

Multiplex est Indulgentia. Multiplicitas autem hæc ex tribus præcipue capitibus desumi potest: primo ex quantitate pœnæ, quæ condonatur: secundo ex subjecto, in quo, vel cui conceditur Indulgentia: tertio ex longitudine temporis, quo durat.

Quoad primum Indulgentia vel totam remittit pœnam debitam peccatis, & tunc dicitur *totalis*, *plena*, & communius *plenaria*, vel partem tantum pœnæ, & dicitur *partialis*. Hæc autem aliquando est medietatis peccatorum, aliquando tertiæ partis &c., & tunc significatur remitti pœnas debitas vel medietati, vel tertiæ parti peccatorum &c., vel est unius anni, aut trium, aut septem, aut centum annorum &c., & tunc significatur non quidem remitti pœnam luendam uno, vel tribus, vel septem, vel centum annis in Purgatorio, sed remitti pœnam, quæ remitteretur, si dicto tempore peccator egisset pœnitentiam juxta antiquos canones pœnitentiales, quæque ex multiplicatione peccatorum potuit pervenire etiam ad plura annorum millia; si enim E. G. uni peccato debita fuisset pœnitentia unius anni, jam millies & millies repetito hoc peccato debuisset peccator per plura annorum millia pœnitentiam agere.

Ubi noto aliquando absolute concedi Indulgentias nulla facta mentione relaxationis pœnitentiarum injunctarum, & tunc intelligendum est condonari omnes pœnitentias, sive injunctæ sint, sive

sive potuerint injungi, adeoque omnes pœnas debitas peccatis, & ita expresse testati sunt Bonifacius VIII. & S. Pius V. apud Bellarminum. Si autem Indulgentia concedatur sub hac formula: *de injunctis pœnitentiis indulgemus*, multi dicunt tunc solum remitti pœnitentias injunctas, & consequenter pœnas illis correspondentes, sed probabilius etiam tunc remittuntur nedum pœnitentiæ impositæ, sed quæ possent quoque imponi, adeoque & omnes pœnæ peccatis debitæ, nisi alia limitatio obstet. Ratio est, quia particulæ illæ *de injunctis pœnitentiis* apponi videntur ad augendam, non ad limitandam concessionem, ita ut sensus sit: *Indulgemus de pœnitentiis nedum, quæ injungi possent, sed etiam quæ injunctæ sunt:* unde sicuti, cum in facultate absolvendi sacramentaliter apponitur clausula *a reservatis*, subintelligitur facultas absolvendi etiam a non reservatis, quia illa clausula est ampliativa; ita etiam in casu. Adde quod, si subsisteret sententia contraria, Indulgentiæ nihil prodessent, cum jam pœnitentia a Confessario imposita impleta est, & tamen pœnitentes communiter putant se illas tunc acquirere: & vix prodessent, cum pœnitentia est adhuc implenda; modo enim tam leves pœnitentiæ imponuntur, ut vix optabile sit ab iis liberari.

Ex subjecto, cui, vel in quo conceditur Indulgentia, dividitur in *personalem*, *localem*, *& realem*. Prima conceditur immediate personæ, ut si Titio concedatur Indulgentia, quoties communicat, ubicumque communicet: secunda quæ immediate affigitur loco, ut si concedatur omnibus visitantibus talem Ecclesiam: tertia quæ affigitur tali vel tali rei, ut Cruci, Imagini, Coronæ, ita ut acquiratur ab iis, qui coram tali Cruce, vel Imagine orant, vel recitant Rosarium numerando orationes per talem Coronam.

Circa personalem nihil est specialiter notandum. Circa localem adverto quod, cum conceditur Indulgentia plenaria visitantibus E. G. in

 alie-

aliquo festo aliquam Ecclesiam, semel tantum in die potest acquiri; ita enim declaravit (a) Innocentius XI. (subintellige nisi expresse concedatur Indulgentia *toties*, *quoties Ecclesia visitatur*; nam tunc etiam pluries in die acquiri potest). Cum autem visitatur Ecclesia, debent in ea per aliquod tempus notabile orationes fundi. Quod si præ multitudine concurrentium non possit quis Ecclesiam ingredi, sufficit si oret extra eam, dummodo tamen cum aliis, qui sunt intra, moraliter sit conjunctus. Adverto etiam cum Suarez quod, si Ecclesia paulatim diruatur, & paulatim reædificetur (saltem ita ut verificetur non novam Ecclesiam construi, sed antiquam resarciri, & opus non esse nova consecratione), perseverat Indulgentia eidem Ecclesiæ concessa, quia Ecclesia moraliter perseverat (quod idem proportionaliter dicendum de Coronis). Si autem tota simul destruatur, docent plures perseverare Indulgentiam, quando destructa fuit auctoritate Superioris cum onere reædificationis; tunc enim dicunt ad novam, saltem si hæc sit sub eodem titulo & Patrono, transire: secus vero, si prior fuisset destructa auctoritate Superioris sine spe reædificationis. Sed licet hæc secunda pars communiter admittatur, Lugo tamen jure dubitat de prima, ex quo nova Ecclesia est non solum physice, sed & moraliter alia a priore, & ideo indiget nova consecratione. Adverto tandem quod, si concedatur Indulgentia visitantibus Ecclesiam in festo alicujus Sancti, & hoc transferatur, aliqui dicunt tunc etiam transferri Indulgentiam, quia hæc conceditur in gratiam festi, unde debet istud sequi. Alii tamen contradicunt, quia Indulgentiæ, inquiunt, sunt affixæ illi diei, quæ ordinarie est festiva, & si transferatur festum, hoc est

(a) *Apud Vivam*.

est per accidens. Ipse ita distinguerem: si in Brevi exprimatur concedi Indulgentiam in die obitus alicujus Sancti, vel in tali determinata die, qua celebratur ejusdem festum, tunc translato festo non transferuntur Indulgentiæ, quia in his casibus videntur affixæ tali determinatæ diei: si vero exprimatur simpliciter concedi Indulgentiam in festo talis Sancti, tunc translato festo censentur transferri & Indulgentiæ, quæ non diei, sed festo videntur affixæ.

Circa reales vero noto quod, ut quis lucretur Indulgentias rebus affixas, ut Coronis, Imaginibus &c., requiritur, ut apud se habeat tales res, & probabilius etiam possideat, nisi contrarium expresserit Pontifex in concessione.

Tandem ex tempore, quo durant Indulgentiæ, dividuntur in *perpetuas*, & *temporales*. Primæ sunt, quæ personæ, loco, vel rei ita conceduntur, ut tandiu durent, quamdiu persona, res, vel locus existunt. His Indulgentiis ex Suarez æquivalet Indulgentia indefinite concessa, idest concessa sine ulla ne tacita quidem temporis restrictione. Ubi tamen notat Viva cum Navarro ex regulis Cancellariæ, quod Indulgentia concessa alicui Ecclesiæ pro tali festo quotannis indeterminate ordinarie restringitur ad viginti annos. Temporales sunt, quæ explicite vel implicite ad certum tempus sunt determinatæ: talis est Indulgentia, quæ conceditur E. G. pro una vice, pro septem annis &c. Talis est etiam, quæ conceditur a Pontifice sub hac formula: *duret ad beneplacitum nostrum*; cum enim beneplacitum Pontificis per mortem illius cesset, cessabit etiam tunc Indulgentia. Quod si diceretur: *usque ad beneplacitum hujus Sanctæ Sedis*, Indulgentia esset censenda perpetua, cum ex una parte nunquam defutura sit Sedes Apostolica, ex alia hæc clausula: *usque ad beneplacitum Sedis Apostolicæ* semper subintelligatur in Indulgentiis perpetuis, cum hæ revocari possint ad nutum Pontificis.

Cum autem conceduntur Indulgentiæ temporales, tempus incipit non a die publicationis Indulgentiæ, sed a die, quo fuit Romæ subsignatum diploma ex decreto S. Congregationis Indulgentiis & & Reliquiis propositæ (a). Si Indulgentia concedatur E. G. ad septennium, inter septem annos probabilius non est computandus annus Jubilæi, qui forte intra hoc spatium incidat; cum enim hoc anno suspendantur Indulgentiæ, ut infra dicam, si hic annus computari deberet in casu, jam revera non septem, sed sex annis duraret gratia. Nec dicas septennium importare septem annos continuatos, quales non essent, si annus Jubilæi non computaretur; nam quamvis in casu septem anni non sint futuri continuati rigorosa continuatione, sunt tamen continuati illa continuatione, quæ haberi potest, unde videtur sufficienter verificari septennium saltem juxta præsumptam benignam mentem concedentis Indulgentiam. Excipiunt tamen aliqui casum, quo in concessione dicatur: *ad septennium proximum*; nam tunc, inquiunt, debent computari septem anni continuati. Sed etiam hoc casu fortasse dici posset non esse computandum annum Jubilæi, quia illud videtur valere de proximitate septennii, quod supra dictum est de continuatione septem annorum.

Non cessat Indulgentia per hoc præcise, quod cesset finis, ob quem fuit concessa, ut si E. G. concedatur Indulgentia perpetua ad finem obtinendæ conversionis alicujus Provinciæ, non cessat Indulgentia per hoc, quod ipsa conversa fuerit; nam motivum illius concedendæ pro tempore futuro non est perseverantia necessitatis, sed est necessitas præterita, quæ, cum semel verificata sit, semper intelligitur verificata, præsertim cum simus in favorabilibus, ubi lata est adhi-

(a) *Apud Lacroix lib. 6. p. 2. n.* 525.

adhibenda interpretatio, adeoque debeat Indulgentia intelligi concessa nedum ad effectum de novo producendum, sed etiam ad illum conservandum.

ARTICULUS TERTIUS.

Potestas concedendi Indulgentias primario residet in Papa, utpote cui immediate datæ sunt claves Regni Cœlorum. Per hunc autem residet etiam in Episcopis, quatenus ipse Episcopis dat facultatem concedendi Indulgentias, unde cum dicitur ab aliquibus facultatem largiendi Indulgentias in Episcopis esse ordinariam & de jure divino, id est explicandum, ita ut Episcopis ratione officii & ordinis Episcopalis plurimum conveniat, ut concedatur a Papa talis potestas. Et sane hanc potestatem in Episcopis a Deo immediate non provenire, sed a Summo Pontifice constat etiam ex quo ab hoc fuit aliquando restricta; nam cum antiquitus libera fuisset concessa facultas Episcopis dispensandi Indulgentias, hæc fuit postea ab Innocentio III. in Lateranensi IV. restricta ad concessionem Indulgentiæ unius anni in ipsa dedicatione Ecclesiæ, & quadraginta dierum ob aliam justam causam, quas etiam Indulgentias non possunt concedere pro Defunctis. Possunt autem Episcopi delegare hanc facultatem quibuscunque Clericis, cum facultas, quæ alicui jure ordinario competit, possit alteri delegari, nisi aliunde prohibeatur. Non autem possunt delegare laico, quia id prohibetur a jure arcente laicos a muneribus Ecclesiasticis. Conceditur etiam a Papa Cardinalibus, ut largiantur Indulgentias centum dierum: hoc autem nullo modo ex jure ordinario, sed ex speciali ipsius Papæ permissione & etiam ex consuetudine. Insuper facultas concedendi aliquas Indulgentias Nunciis Pontificiis conceditur. Concilium Generale hanc facultatem non habet, nisi prout est conjunctum cum Papa, cui soli commissæ sunt claves Regni Cœlorum.

Hanc facultatem non habent Prælati Regulares nisi ex delegatione Papæ, unde cum aliquem admittunt ad participationem bonorum propriæ Religionis, non concedunt rigorose Indulgentias, quia applicant tantum privatas satisfactiones suorum Religiosorum, non immittunt manum in thesaurum Ecclesiæ communem.

Falsum est, quod docuerunt aliqui, potestatem concedendi Indulgentias esse potestatem ordinis Sacerdotalis; nam ipsa, ut dixi, fundatur in potestate clavium, quas Ecclesia potest committere relate ad potestatem concedendi Indulgentias, etiam non Sacerdoti, & de facto conceditur Cardinalibus etiam non Sacerdotibus.

Cum concedens Indulgentias operetur ut dispensator thesauri Ecclesiæ, cumque in dispensatore, ut licite & valide dispenset bona Domini sui, justa causa requiratur, hinc justa hæc causa requiritur ad concedendas Indulgentias. Hac ergo deficiente invalida erit concessio, & quidem ex toto, si nullo modo subsistat causa concessionis: quod si subsistat ex parte tantum, Indulgentia quoad partem, cui non correspondet causa, non subsistit, sed ex parte, cui correspondet causa, subsistit, quia, ut dicitur, (a) *utile per inutile non vitiatur*. Hinc si concedatur Indulgentia plenaria absque ulla causa, nulla erit concessio: si autem adsit quidem causa ad concedendam Indulgentiam, sed tantum ad concedendam minorem plenaria, ut E G. unius anni, valebit Indulgentia tantum pro uno anno. Ubi tamen adverto quod, si Indulgentiæ adnectantur, ut aliquando fit, privilegia aliqua, ut absolvendi a reservatis, commutandi vota &c., tunc quamvis concessio Indulgentiæ ex defectu causæ vel ex toto vel ex parte non subsistat, tamen favores sub-si

(a) *Regul.* 33. *juris in* 6.

sistunt, quippe qui a sola Pontificis voluntate dependent: unde sicuti, ut Pontifex valide in votis dispenset, requiritur justa causa, quia res tunc non dependet a libito ipsius, sed a voluntate Dei nolentis relaxare jus, quod habet in vovotem sine justa causa, non tamen requiritur hæc causa, ut alteri valide deleget facultatem dispensandi, quia in hoc casu res a sola Pontificis voluntate dependet; ita proportionaliter in casu.

Causa autem justa ad concessionem Indulgentiarum non consistit in hoc, quod opus injunctum tantum sit in ratione meriti & satisfactionis, quantum est in ratione pœnæ debitum, quod relaxatur per Indulgentiam, alias concessio Indulgentiæ esset mera commutatio, sed consistit in hoc, quod prudenter & secundum omnes circumstantias appareat futurum ad majorem Dei gloriam & Ecclesiæ utilitatem, ut injuncto aliquo opere ad talem vel talem finem idoneo pœnæ debitum condonetur, quam si exolvendum divinæ justitiæ relinquatur: sicque justa est causa concedendi Indulgentiam si E. G. Papa illam concedat iis, qui pœnitentes, confessi, & Communione refecti orationes, eleemosynas &c. offerunt Deo pro extirpatione hæresum, & pace Principum Christianorum &c., quia magis videtur cedere in gloriam Dei ac Ecclesiæ utilitatem, ut fideles per opera supradicta impetrent a Deo talia bona, quam ut divinæ justitiæ pœnas debitas solvant. Dixi *prudenter & secundum omnes circumstantias &c.*; nam fieri potest, ut causa, spectatis aliquibus tantum circumstantiis, vel etiam omnibus, sed disjunctim non appareat sufficiens, quæ tamen omnibus simul consideratis sufficiens revera sit, & ita jure quandoque Papa concedit Indulgentiam plenariam omnibus suscipientibus suam benedictionem, quia licet hæc susceptio materialiter considerata sit quid modicum, adeoque insufficiens ad Indulgentiam plenariam, si tamen consideretur formaliter, & prout secum trahit frequentiam venerationis erga Christi Vicarium &

Se-

Sedem Apostolicam, apparet sufficiens. Pariter jure quandoque Papa concedit plenariam Indulgentiam omnibus eleemosynas concedentibus etsi tenues pro constructione alicujus Ecclesiæ, quia hujusmodi eleemosynæ etsi materialiter consideratæ sint improportionatæ huic plenariæ Indulgentiæ, consideratæ tamen, prout collectim inserviunt ad augendum cultum Dei & fidelium pietatem, sunt proportionatæ.

Noto tamen cum Bellarmino temerarium esse, ut subditi ferant judicium circa proportionem causæ cum Indulgentia; hoc enim concedenti est relinquendum, qui etiam causam aliquam concedendi Indulgentiam potest habere justam quidem, sed cujus justitia aliis non appareat. Noto etiam posse Pontificem concedere Indulgentiam nullum injungendo opus ad ejus assecutionem, cum scilicet agitur de remunerando aliquo ob insigne opus jam præstitum, quo casu causa respicit præteritum in ordine ad illum, cui conceditur Indulgentia, licet asseri posset ipsam respicere etiam futurum in ordine ad alios, qui spe hujus concessionis alliciuntur ad bene operandum.

ARTICULUS QUARTUS.

Subjecta, quibus applicari possunt Indulgentiæ, sunt animæ Purgatorii, & fideles viventes adulti; ad hos enim potest, & non ad alios se extendere potestas clavium, a qua dixi provenire concessionem Indulgentiæ. Et sane si de mortuis loquamur, Beatis applicari non possunt utpote nullum habentibus reatum pœnæ, nec possunt applicari damnatis, respectu quorum Ecclesia non habet amplius claves Paradisi. Remanet ergo, ut possint applicari tantum animabus Purgatorii (quod tamen est intelligendum, dummodo Papa id concedat). Si vero loquamur de vivis, Indulgentiæ sane nequeunt applicari infantibus; nam vel hi sunt baptizati, & jam nullus illis remanet reatus pœnæ solvendus, vel non

sunt

ſunt, & cum in lethali ſint conſtituti, ſunt incapaces, ut ab ipſis pœna temporalis tollatur. Inter adultos autem, qui non credunt, ſunt & ipſi incapaces Indulgentiæ utpote conſtituti in lethali. Remanet ergo, ut ſint capaces tantum fideles. Cum autem inter fideles ſint etiam Cathecumeni, ideo aliquibus placet eos dicere capaces Indulgentiarum.

Diverſimode tamen conceduntur Indulgentiæ vivis, ac defunctis; nam vivis conceduntur per modum ſolutionis ſimul & abſolutionis, defunctis ſolum per modum ſolutionis ſeu ſuffragii, ideſt cum Papa reſpectu vivorum exercere poſſit poteſtatem nedum clavium, ſed etiam juriſdictionis; hi enim ſunt ipſius ſubditi; ideo poteſt eos vere abſolvere a reatu pœnæ temporalis, quo caſu Pontifex ut diſpenſator theſauri Eccleſiæ offert Deo ſatisfactionem ſufficientem ex eodem theſauro, & veluti ſolvit pretium, & ipſe poſtea ut gerens vices Dei talem ſatisfactionem acceptat nomine Dei, & liberat hominem a pœna, & ita nedum, ut patet, exercet poteſtatem clavium removendo impedimenta ad ingreſſum gloriæ, ſed etiam exercet veram juriſdictionem, cum auctoritative & ut Superior nomine Dei dicat homini: *abſolvo te*. At animæ Purgatorii non ſunt amplius Papæ ſubjectæ, unde hic non poteſt circa illas exercere jurirdictionem eaſdem vere abſolvendo. Remanet ergo, ut tantum de theſauro Eccleſiæ extrahat pretium ſufficiens pro illarum abſolutione, illudque offerat Deo, qui poſtea liber eſt ad illud acceptandum: & hoc eſt, quod indicatur, dum dicitur Indulgentias defunctis applicari ſolum per modum ſolutionis ſeu ſuffragii. Hoc totum exemplo declaratur. Si Prætor aliquis Regis Galliarum habeat in ſua ditione hominem, qui eidem Regi debeat centum, poterit hic ex bonis publicis Regi centum tribuere, atque ejuſdem nomine reum a debito abſolvere. At ſi hic debitor ſit in ditione alicujus Prætoris Cæſarei, hic poterit quidem ex bonis publicis debitori appropriare centum, ut Regi Galliarum ſa-

satisfaciat, at non poterit hæc centum nomine ejusdem Regis acceptare, sed tantum Regem rogare, ut acceptet. Ita in casu. Ex hoc autem sequitur Indulgentias applicatas defunctis illis non prodesse infallibiliter, cum hoc a libera Dei voluntate dependeat. Et hoc etiam suadet fidelium praxis, qui postquam Indulgentiam plenariam alicui animæ applicarunt, ut E. G. per missam in altari privilegiato, adhuc recipiunt denuo Indulgentias, & repetunt opera satisfactoria pro eadem, non repetituri profecto, si putarent priorem Indulgentiam certo profuisse. Ex hoc tamen ne inferas ejusdem esse conditionis Indulgentiam applicatam defunctis, ac quodlibet aliud opus satisfactorium ab hoc vel illo privatim defunctis applicatum; nam primo hæc satisfactio, ut supponitur, est de bonis privatis, illa de bonis communibus, unde hæc non potest applicari nisi aliqua urgente causa, ut supra dixi, altera potest applicari pro libito satisfacientis: secundo Indulgentiæ concessio legitime facta difficilius effectu fraudatur, cum nitatur securis satisfactionibus, & fiat a potestate publica, altera vero fraudatur facilius, cum nitatur satisfactionibus incertis, & fiat nomine privato.

Conditiones necessariæ ad lucrandam Indulgentiam præter supra adductam, nimirum ut homo sit vel baptizatus, vel saltem cathecumenus, hæ quoque sunt. I. ut qui vult suscipere Indulgentiam, sit subditus concedentis; hæc enim ex dictis est respectu vivorum actus jurisdictionis, qui nequit exerceri in non subditum. Ubi tamen noto posse Episcopum suis subditis concedere licentiam, ut ab alieno Episcopo Indulgentiam lucrentur, quo casu prior Episcopus subditos suos alteri Episcopo quoad hoc subjicit. Noto pariter Regulares exemptos posse percipere Indulgentias Episcoporum, si per adimpletionem operum injunctorum ipsis se subjiciant, alias privilegium exemptionis cederet in ipsorum damnum. Noto tandem etiam ipsum concedentem Indul-
gen-

gentiam posse Indulgentiam a se concessam lucrari, alias esset deterioris conditionis, ac alii fideles. Hoc autem casu duplicem gerit personam, & exercentis jurisdictionem, & illius, in quem jurisdictio exercetur.

II. requiritur, ut suscepturus Indulgentias non sit innodatus excommunicatione majore; hæc enim privat bonis Ecclesiæ spiritualibus, adeoque etiam participatione Indulgentiarum.

III. ut sit constitutus in gratia, cum debet recipere remissionem pœnæ; hæc enim numquam remittitur inimico Dei. Imo ut lucretur Indulgentiam plenariam, requiritur ut sit ab omni culpa immunis, cum tota pœna nunquam remittatur nisi remissa tota culpa, quod tamen valet de eo, qui pro se acquirit Indulgentiam; nam si acquirat pro alio (& sic posse illam acquirere, dummodo concedat Pontifex, est manifestum; nulla enim est assignabilis ratio in contrarium: quod dicendum de acquisitione Indulgentiæ nedum facta a vivente pro mortuo, sed etiam a vivente pro alio vivente ob eandem rationem), status gratiæ per se non requiritur nisi in illo, pro quo suscipitur Indulgentia. Dixi *per se;* nam fieri potest, ut per accidens requiratur etiam in eo, qui pro alio Indulgentiam acquirit, ut si inter opera injuncta sit etiam confessio.

IV. requiritur, ut integre ponatur opus ad lucrandam Indulgentiam præscriptum; nam hæc est conditio apposita a concedente ad Indulgentiam lucrandam. Hinc si quis vel oblivione, vel ex dictamine sibi efformato ob opinionem probabilem quidem, sed tamen falsam, vel ob aliud impedimentum omittat vel totum opus, vel partem illius, non lucratur Indulgentiam, nisi aliter in concessione exprimatur, & nisi pars omissa sit tam parva & in se & respective ad totum opus, ut ejus omissio moraliter nihil æstimetur. Ubi etiam adverto quod, si opus injunctum totum quidem ponatur, sed non cum debita diligentia, periculum est, ne Indulgentia acquira-

tur

tur totaliter, sed solum acquiratur aliqua illius pars, præcipue si qui vult acquire Indulgentiam, plurima habeat debita cum justitia divina: quod colligitur ex Bonifacio VIII. (a) ubi occasione Indulgentiæ plenariæ anno Jubilæi concessæ ait: *Unusquisque tamen Indulgentiam efficacius consequetur, quo amplius & devotius Basilicas frequentaverit*.

V. An requiratur, ut omnia opera injuncta fiant in gratia, controvertitur. Affirmant plures generaliter id requiri, quia opera facta in lethali sunt mortua, adeoque incapacia, ut per illa possit homo consequi Indulgentiam. Alii distinguunt inter opera, quæ non sortiuntur effectum, nisi fiat in gratia, ut sunt quæ immediate diriguntur ad placandum Deum, ad has autem requirunt statum gratiæ, & opera, quæ effectum sortiuntur etiam independenter a gratia, ut esset eleemosyna eroganda in subsidium pauperum, & ad hæc non requirunt statum gratiæ. Alii tandem, & quidem probabilius generaliter docent non requiri statum gratiæ, nisi cum perficitur ultimum opus. Horum rationes sunt. I. hoc suadet praxis fidelium, qui cum E. G. præscribitur jejunium, & confessio ad acquirendam Indulgentiam, solent confessioni præmittere jejunium, cum tamen, si staret sententia contraria, potius præmittenda esset confessio. II. Non requiritur, ut opera, quibus acquiritur Indulgentia, sint satisfactoria de condigno (Indulgentiæ enim non fundantur in satisfactione illius, qui vult eas lucrari, sed in satisfactionibus Christi & Sanctorum), sufficit ut sint satisfactoria de congruo, qualia sunt opera etiam supernaturalia peccatorum: præcipue cum possint illa opera exigi solum ut conditiones, vel etiam ordinari ad excitandam pietatem & devotionem, vel ad disponendos fideles, ut digne suscipiant Sacramentum & reconcilientur Deo, quæ

(a) *Extravag.* antiquorum *de Pœnit. & remiss.*

quæ omnia per opera etiam facta in lethali possunt obtineri.

VI. Requiritur, ut opera posita ad lucrandam Indulgentiam sint honesta nedum in se (quod potius spectat ad concedentem Indulgentias), sed etiam fiant honeste, idest non fiant E. G. ad malum finem, ut vanæ gloriæ, avaritiæ &c.; secus enim non essent bona in actu secundo. Probabiliter tamen sunt idonea ad lucrandam Indulgentiam opera cum aliqua culpa levi patrata, ut si fierent cum aliqua acedia, distractione &c., & quamvis, ut supra dixi, probabiliter tunc impediatur consecutio Indulgentiæ secundum totam suam latitudinem.

VII. Regulariter requiritur, ut talia opera non sint alias debita; præscribuntur enim per pactum onerosum inter concedentem & lucraturum Indulgentiam, ut, si hic velit eandem lucrari, illa ponat. Non videtur autem opus imponi per modum oneris, cum aliunde debitum est. Favet paritas de satisfactione sacramentali, ad quam regulariter requiritur opus aliunde indebitum. Dixi *regulariter*; nam si concedens vel explicite, vel implicite ostendat se esse contentum opere alias debito, tunc istud sufficiet: sicque cum E. G. conceditur Indulgentia in forma Jubilæi in quadragesima cum onere jejunandi tribus diebus, quo casu stante impossibilitate iterandi jejunium eadem die Pontifex implicite dicit se esse contentum, ut valeat jejunium ex præcepto quadragesimæ, non requiretur aliud jejunium præter istud. Ex quo etiam patet nos posse per idem opus lucrari plures Indulgentias, cum idem opus est eadem die initerabile, ut si plures Indulgentiæ eadem die concessæ sint jejunantibus. An autem per idem opus possint acquiri peculiares indulgentiæ, cum opus potest repeti, ut si plures Indulgentiæ concessæ sint audientibus Sacrum tali die; hæc enim auditio, ut patet, repeti potest; controvertitur. Videtur probabilius quod non; nam licet uno eodemque actu

ctu satisfieri possit duobus præceptis, cum hæc non obligant ex titulo oneroso, & ita per eandem Missæ auditionem satisfit præcepto urgenti & pro Dominica, & pro die festo natalis Christi, quod incidat in Dominicam, secus tamen videtur dicendum, cum adest hic titulus, ut adest in casu. Favet hic quoque paritas de satisfactione sacramentali; ut enim non satisfit duplici Pænitentiæ de auditione Sacri ex duplici confessione ortæ per eandem Sacri auditionem, ita in casu.

VIII. Requiritur aliqua intentio; non enim æquum est, ut remissionem obtineat pœnæ, qui non habet voluntatem illam obtinendi. Ex Layman tamen sufficit intentio habitualis, imo etiam interpretativa; si enim justus licet ignorans potest gaudere de satisfactionibus alterius justi, cur non poterit gaudere de satisfactionibus Christi ille, qui ponit opus, cui tales satisfactiones adnexæ sunt, dummodo ita sit dispositus, ut si hoc sciret, vellet illas sibi applicari? Ad securitatem tamen curanda erit intentio saltem virtualis.

IX. Quamvis olim dubitaretur, an cum dicitur Indulgentia concedi confessis peccata, id intelligeretur solum de habentibus mortalia, an vero hæc confessio exigeretur etiam ab eo, qui habet tantum venialia, decrevit tamen Clemens XIII. feliciter regnans sub die 19. Maji 1759. exigi confessionem etiam in eo, qui habet tantum venialia, quam confessionem voluit sufficere etsi factam in vigilia festivitatis. Alio autem decreto sub die 9. Decembris 1763. idem indulsit, ut etiam sine actuali confessione possent dictas Indulgentias lucrari, qui ad Sacramentum Pœnitentiæ accedere semel saltem in hebdomada, nisi legitime impediantur, consueverunt. Cum autem Pontifex dicit Indulgentiam concedi contritis & confessis, videtur sufficere attritio; hæc enim, ut supra vidimus ex Tridentino est species contritionis, & dici etiam solet contritio imperfecta.

AR-

ARTICULUS QUINTUS.

De Jubilæo tandem agendum. Vox *Jubilæum* ortum habuit per Lyranum in Hebraica voce *Jobel*, quæ significat buccinam; nam annus Jubilæi buccinæ sonitu apud Hæbreos indicebatur. Origo Jubilæi nostri accersitur a Jubilæo Hebræorum, de quo dicitur: (a) *Sanctificabis annum quinquagesimum, & vocabis remissionem cunctis habitatoribus terræ; ipse est enim Jubilæus: revertetur homo ad possessionem suam, & unusquisque redibit ad familiam pristinam*. Cum ergo quinquagesimo quoque anno apud Hebræos fieret remissio debitorum, voluit Ecclesia, ut statis temporibus etiam apud fideles fieret remissio peccatorum, & pœnarum ipsis debitarum per Indulgentiam plenariam adnexos habentem speciales favores & gratias. Hinc Jubilæum definitur *Indultum Pontificis Indulgentiam plenariam & magna privilegia tribuens certa opera in Brevi præscripta præstantibus*.

Triplex distinguitur Jubilæum, *Romanum*, *Compostellanum*, & *extraordinarium*. Primum illud est, quod Romæ celebratur anno Sancto. Hujus auctorem aliqui putant Bonifacium VIII., quamvis alii velint ante ipsum illud fuisse celebratum. Decrevit autem Bonifacius, ut Jubilæum celebraretur centesimo quoque anno. Postea Clemens VI. decrevit, ut celebraretur anno quoque quinquagesimo. Ex sequentibus Pontificibus alii tempus Jubilæi plus minus coarctarunt usque ad Pium II., qui decrevit, ut vigesimo quinto quoque anno celebraretur, quod usque modo servatum est. Compostellanum celebratur Compostellæ toto illo anno, quo S. Jabobi festum incidit in Dominicam Extraordinarium extra annum Sanctum ob gravem causam indicitur.

Ju-

(a) *Levit.* 25.

Jubilæum anni Sancti indici solet die Ascensionis Domini anni proxime antecedentis, & eodem anno in pervigilio Nativitatis Domini ad vesperas Papa magno apparatu accedit ad Ecclesiam S. Petri, ibique argenteo malleo ter percutit portam sanctam, quæ tunc est clausa, quam postea bis percutit Summus Pœnitentiarius, & deinde fabri murarii disjiciunt, & per ipsam ingreditur Summus Pontifex, dum interim alias portas sanctas in tribus aliis Basilicis, videlicet S. Pauli, S. Joannis Lateranensis, & S. Mariæ Majoris tres Cardinales reserant. Quatuor autem has Basilicas visitare debent, qui lucrari volunt Jubilæum. Portæ istæ dicuntur sanctæ quia per illas ingrediuntur lucraturi Indulgentias (quamvis hoc non sit absolute necessarium), & etiam quia, cum clauduntur, quod solemniter fit in pervigilio Nativitatis ejusdem anni sancti, benedicuntur lapides, calx &c. Tempore autem, quo aperta manet porta sancta, viget Indulgentia. Interim vero suspenduntur Indulgentiæ omnes alibi pro vivis concessæ, & facultates concessæ intuitu Indulgentiarum: quod fit, ut fideles veluti necessitentur ad recurrendum Romam pro lucrandis Indulgentiis, sicque per concursum fidelium honoretur memoria SS. Apostolorum Petri & Pauli, & augeatur honor erga Christi Vicarium & Sedem Apostolicam. Dixi *suspendi omnes Indulgentias pro vivis concessa;* non enim suspenduntur concessæ immediate pro defunctis ex declaratione Clementis X. Quamvis nec omnes Indulgentiæ concessæ pro vivis suspenduntur; adhuc enim vigent probabiliter non plenariæ, & etiam plenariæ concessæ domui Lauretanæ & Compostellæ, & probabilius etiam concessæ ubique in articulo mortis. Nihil addo circa Jubilæum Compostellanum, utpote quod ad nos non pertinet.

De Jubilæo extraordinario acturus, quod ad nos pertinet, dico ipsum regulariter per duas hebdomadas durare, ita ut possint fideles in alterutra ex illis idem lucrari. Probabilius qui prima

heb-

hebdomada Jubilæum lucratus est, non potest etiam repetendo opera præscripta denuo alia hebdommada illud lucrari; duæ enim hebdommadæ non assignantur in casu copulative, sed disjunctive: & ita teste Filluccio declaravit Clemens VIII., & sacra Congregatio Concilii (a).

Opera injuncta pro acquirendo Jubilæo solent esse jejunium trium dierum, eleemosyna, visitatio alicujus Ecclesiæ, Confessio, & Communio. Ordo inter ista opera est arbitrarius, nisi contrarium decernat Pontifex. Monendi sunt tamen rudes ipsos non consequi Jubilæum statim post Communionem, ut plerumque putant, sed solum postquam omnia opera injuncta peregerunt.

Aliqui putant partem operum poni posse una hebdommada, partem alia, sed probabilius est oppositum; duæ enim hebdommadæ statuuntur ut termini distincti pro assecutione Jubilæi, non ut simul integrent unum terminum totalem. Qui tamen jejunium implevit una hebdommada, potest Confessionem, Communionem, orationem, visitationem Templi, & eleemosynam ponere sequenti Dominica; nam ita fert praxis.

Jejunium poni debet assignatis diebus, & etiam ab iis, qui aliunde ad jejunium non obligantur, ut ab adolescentibus, senibus &c., nisi tamen a Confessario onus hoc illis commutetur. Eleemosyna est facienda juxta cujusque facultatem, si id in Bulla exprimatur, sin minus, quæcumque sufficiet; non enim debemus imponere onera absque sufficienti fundamento. Non debet tamen hæc respectu divitum esse modicissima, quia tunc pro nulla reputabitur, & cum aliquid relinquitur arbitrio boni viri, debet fieri juxta regulas prudentiæ, quæ sane nunquam divitibus dictabit, ut modicissimam eleemosynam ad asse-

quen-

(a) *Ann.* 1620.

quendum finem Jubilæi erogent. Ad eleemosynam probabilius omnes tenentur, adeoque etiam pauperes, filiifamilias, & Religiosi, quia hæc generaliter apponitur ut conditio, qua deficiente non obtinebitur Jubilæum. Hi ergo vel a divitibus, vel a parentibus, vel a Superioribus respective aliquid petant, quod postea in elemosynam erogent: quod si nec ita possunt eleemosynam facere, hæc erit commutanda. Si eleemosyna detur alteri facienda, & ab isto non fiat, non obtinebitur Jubilæum ex defectu conditionis necessariæ. Ubi etiam moneo non sufficere eleemosynam spiritualem; nam hæc non venit litteraliter nomine eleemosynæ. Oratio & ipsa non debet esse modicissima ob rationes supra adductas circa eleemosynam. Consultum est autem, ut lucraturus Jubilæum saltem tertiam Rosarii partem recitet, vel quid simile. Circa Confessionem, Communionem, & visitationem Templorum sufficiant, quæ supra dicta sunt de indulgentiis in genere. Solum addo non sufficere ad lucrandum Jubilæum Confessionem aut Communionem sacrilegam.

Plura sunt privilegia adnexa Jubilæo. Primum est facultas eligendi in Confessarium quemcumque approbatum ab Ordinario, qui poterit absolvere a peccatis reservatis & censuris. Probabilius Regulares non possunt eligere in Confessarium nisi approbatum a propriis Superioribus, quia per Bullam Jubilæi non derogatur privilegiis, quæ habent circa hoc Prælati Regulares, quod etiam declaravit Gregorius XIII. respectu Societatis Jesu teste Viva. Moniales pariter non possunt eligere nisi approbatum specialiter pro ipsis; qui enim est tantum pro aliis approbatus, non debet dici approbatus respectu illarum, & cum hoc cohæret praxis nostræ Diœcesis. Confessarius debet esse ex approbatis ab Ordinario loci, in quo debet fieri confessio, quin sufficiat approbatio facta a solo Episcopo Confessarii, & multo minus a quocumque alio Episcopo. Ratio patet

tet ex dictis, ubi de approbatione Confessarii. Pariter nec potest a fœminis eligi Confessarius approbatus tantum pro viris, qui respectu illarum hic non potest dici approbatus: nec potest eligi complex in crimine carnali, quia hic pro quocumque casu extra casum mortis, de quo supra, est respectu complicis reprobatus.

Potest autem Confessarius electus absolvere ab omnibus casibus Papæ rerervatis excepta tamen hæresi formali, quamvis occulta, a qua ipsum non posse absolvere evincunt plura decreta S. Congregationis. A casibus Episcopo reservatis juxta aliquos non potest absolvere, nisi in Bulla id exprimatur, quamvis Viva dicat sententiam communissimam quod possit, & hoc confirmet tum ex praxi, tum ex quo Papa censeatur tribuere omnibus Confessariis facultatem absolvendi a casibus, a quibus ipse potest absolvere, adeoque etiam a casibus reservatis Episcopo. Potest etiam hic Confessarius absolvere a reservatis commissis in spem Jubilœi; hæc enim spes non adimit ipsi facultatem. Quod si Confessarius post audita reservata judicet expedire pœnitenti, ut differat absolutionem, poterit etiam transactis duabus hebdommadibus illum absolvere, quia judicium jam erat inceptum tempore Jubilæi, unde potest etiam illo transacto compleri. Idem dicendum, si pœnitens in confessione facta tempore Jubilæi oblitus fuisset alicujus reservati; ab hoc enim posset absolvi etiam transacto Jubilæo, quia, cum accusatio istius sit veluti complementum prioris judicii, videtur veluti retrotrahi ad tempus Jubilæi, adeoque confessio consideratur, ut consideratur tempore Jubilæi.

Quoad absolutionem a censuris noto ex facultate quoad hoc concessa Confessariis tempore Jubilæi non inferri ipsos posse absolvere ab irregularitate sive ex delicto, sive ex defectu; neutra enim est censura: præterquamquod in Bulla Jubilæi expresse solet hoc prohiberi. A censuris vero nec licite, nec etiam juxta plures valide ab-

solvitur pœnitens, nisi præmiserit satisfactionem partis læsæ, si hæc est præmittenda (facultas enim absolvendi a censuris conceditur sub hac conditione), aut si non potest tunc ipsi satisfieri, nisi dederit cautionem de satisfaciendo, cum poterit.

Quoad commutationem votorum observo Confessario tempore Jubilæi concedi, ut possit commutare vota etiam jurata, & etiam ex communiori in aliam materiam paulo suaviorem; cum enim pœnitens probabiliter possit sibi ipse commutare votum in aliquid evidenter æquale videtur Jubilæum debere aliquid amplius importare, sicque ut commutatio fiat in aliquid mitius. Excipiuntur vota castitatis, & Religionis ingrediendæ, ac illa, quorum commutatio caderet in præjudicium tertii; hæc enim ordinarie commutari non possunt.

Observo etiam posse Confessarium commutare opera ad Jubilæum præscripta, si lucraturus Jubilæum sit legitime ad illa impeditus, ut sunt E. G. detenti in carcere respectu visitationis Ecclesiarum. Docent multi non posse commutari Confessionem & Communionem, ex quo hæc semper fuerit requisita, & modernæ Bullæ loquentes de commutatione operum respectu impeditorum mentionem tantum faciant jejunii, eleemosynæ, & visitationis Ecclesiæ. Sed alii id etiam extendunt ad Confessionem & Communionem, ex quo rationes supra adductæ, quæ tamen sunt potiores, ad summum probent hæc opera difficilius debere commutari, non probent sufficienter ea commutari non posse. Pueris ergo E. G. non pertingentibus ad annum decimum vel undecimum, quo solum tempore solent admitti ad Communionem, commutanda est Communio in aliud opus (etsi Viva contendat non requiri ullam commutationem, cum conditio Communionis respectu illorum utpote ex consuetudine impossibilis censeatur non apposita, sed tutius est illam commutare). Confessio tamen habenti mortale numquam est commutanda.

Pri-

Privilegiis jam dictis frui poſſunt ſolum, qui habent animum lucrandi Jubilæum, cum his ſolis a Papa concedatur: hinc carentes tali animo, & obtinentes aliquam abſolutionem ex conceſſis intuitu Jubilæi peccant, & invalide abſolvuntur. Si tamen aliquis cum animo lucrandi Jubilæum obtinuiſſet abſolutionem a reſervatis, vel aliud ſimile, & poſtea animum deponeret, nec Jubilæum acquireret, peccaret quidem, ſed validæ eſſent abſolutiones obtentæ, quæ datæ non ſunt ad reincidentiam, ſed abſolute: quod idem dicendum de votorum commutatione.

DISSERTATIO V.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

DIſſertationem hanc in duo capita divido. In 1. notionem exhibebo hujus Sacramenti: 2. agam de illius miniſtro, ſuſcipiente, & effectibus.

CAPUT PRIMUM.

Notio exhibetur Extremæ Unctionis.

AFferam hic 1. definitionem Extremæ Unctionis, & probabo illam eſſe Sacramentum: 2. agam de illius materia & forma.

ARTICULUS PRIMUS.

Extrema Unctio eſt *Sacramentum novæ legis a Chriſto inſtitutum ad conferendam ſalutem animæ, & etiam, ſi expedierit, corporis infirmo*

 peri-

periclitanti de vita per unctionem olei benedicti, *& orationem Sacerdotis*. Ita appellatur hoc Sacramentum, quia confertur per unctionem, quæ inter alias, quibus linitur Christianus, ut E. G. in Baptismo & Confirmatione, ordinarie est ultima.

Veram rationem Sacramenti Extremæ Unctioni negant Novatores. Contra hos sit

Assertio. *Extrema Unctio est verum Sacramentum*. Est de fide.

Prob. ex Scriptura. S. Jabobus ait: (a) *Infirmatur quis in vobis? inducat Præsbyteros Ecclesiæ, & orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei*. Hic S. Jacobus indicat ritum externum applicabilem solis baptizatis, ut patet ex illo: *Infirmatur quis in vobis?* promissionem gratiæ huic ritui adnexam & significatam per illa: *Et si in peccatis sit, remittentur ei*; vim producendi hanc gratiam ex opere operato, cum illius universalis promissio non subsisteret, si unctio gratiam conferret tantum ex opere operantis; sæpe enim ex improbitate Ministri impediretur hic effectus: institutionem divinam, cum solus Deus possit alicui actioni adnectere gratiam: & tandem institutionem stabilem, cum locutio Apostoli dirigatur ad Ecclesiam, quamdiu durabit. Ergo &c.

Nec dicas S. Jacobum loqui de ritu tantum sanativo corporaliter, quomodo de eo tantum est sermo, ubi de Apostolis dicitur: (b) *Ungebant oleo multos ægros, & sanabant*, non haberi hic infallibilem promissionem gratiæ, alias haberetur etiam infallibilis promissio sanitatis corporalis, cum hæc eodem modo ac gratia promittatur; nam Con-

---

(a) *Ep. Jacob. cap.* 5.
(b) *Marc.* 6.

Contra. Unctio, de qua Marcus, fuit diverſa ab illa, de qua Jacobus; prima enim non fuit ſacramentalis, ſecus ſecunda. Sane primam non fuiſſe probat, quod nullus eo Marci loco fiat ſermo de collatione aut promiſſione gratiæ, ſed ſolum de ſanitate corporali, & quod Apoſtoli tunc ungentes infirmos nondum erant Sacerdotes, adeoque improbabile eſt eos tunc contuliſſe Sacramentum: quod tunc ungebantur infirmi nedum extremo morbo laborantes, ſed etiam alii, ut claudi, cæci &c., quos hoc Sacramento fuiſſe unctos inveriſimile eſt: rurſus quod probabiliter inter unctos illa unctione plures fuerunt non baptizati, qui proinde Sacramenti erant incapaces: tandem quod Tridentinum de Sacramento Extremæ Unctionis dicat illud fuiſſe (a) *apud Marcum inſinuatum, per Jacobum autem commendatum & promulgatum*, quod dici non poſſet, ſi unctio, de qua Marcus, fuiſſet Sacramentum. Ergo &c.

Nec habet Jacobus infallibilem promiſſionem ſanitatis corporalis, ut habet promiſſionem gratiæ; hæc enim, cum ſemper ſit utilis, non eſt, cur abſolute non fiat, at illa, cum aliquando non ſit utilis, nunquam fit niſi conditionate, ſcilicet quatenus animæ expediat. Ergo &c.

Prob. aſſertio ex ſenſu Eccleſiæ; nam usque a quarto ſæculo Innocentius I. illius mentionem fecit: (b) *Non eſt dubium*, inquit, *de fidelibus ægrotantibus accipi vel intelligi debere, qui ſancto oleo chriſmatis perungi poſſunt ... Si Epiſcopus poteſt, aut dignum ducet aliquem a ſe viſitandum, & benedicere, & tangere chriſmate ſine cunctatione poteſt, cujus eſt ipſum chriſma conficere; nam pœnitentibus iſtud infundi non poteſt, quia genus eſt Sacramenti; nam quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo unum ge-*

(a) *Seſſ.* 14. *cap.* 1. (b) *Ep. ad Decent.*

nus putatur posse concedi? Præterea usus hujus Sacramenti apud Latinos meminit Sacramentarium S. Gregorii, & apud Græcos Euchologium Goarii. Quod si ex primis Ecclesiæ seculis vel nulla, vel saltem pauca habemus illius momenta, id factum est tum ob disciplinam arcani, de qua supra, tum quia illud sub Pœnitentiæ nomine ab antiquis comprehendebatur, cum sit veluti illius complementum. Accedit tandem definitio Tridentini, quod ait (*a*): *Si quis dixerit Extremam Unctionem non esse vere & proprie Sacramentum a Christo Domino nostro institutum, & a D. Jacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum, anathema sit.*

Probabilius hoc Sacramentum fuit a Christo institutum, cum instituit Pœnitentiam, tum quia hoc est veluti Pænitentiæ complementum, tum quia nullum aliud tempus commodius assignari potest.

ARTICULUS SECUNDUS.

Materia remota hujus Sacramenti est oleum olivarum. Ita Florentinum (*b*) & Tridentinum dicens: (*c*) *Quibus verbis* (Jacobi) *ut ex Apostolica traditione per manus accepta . . . intellexit Ecclesia materiam esse oleum ab Episcopo benedictum*. Accedit quod ubicumque hujus Sacramenti fit mentio, oleum commemoratur, quo nomine antonomastice venit oleum olivarum.

Hoc debet esse ab Episcopo benedictum: & quidem tenentur Episcopi quotannis feria 5. in Cœna Domini illud benedicere, & qui illo usuri sunt, tenentur illud accipere a proprio Episcopo,

(a) *Sess.* 14. *Canon* 1.
(b) *In instruct. Armen.*
(c) *Sess.* 14. *cap.* 1.

po, & non ab alio. An talis benedictio sit de essentia Sacramenti, controvertitur. Circa hoc autem valeant, quæ dixi de benedictione chrismatis pro Confirmatione. Facultas benedicendi oleum infirmorum potést devolvi ad Presbyterum, quod etiam confirmat praxis Ecclesiæ Græcæ, in qua simplices Presbyteri ita benedicunt. Controvertitur pariter, utrum pro Extrema Unctione possit valide adhiberi chrisma: Negant plures, quia hoc non est benedictum per ordinem ad Extremam Unctionem: affirmant alii volentes chrisma non differre substantialiter ab oleo infirmorum, & benedictionum varietatem esse tantum accidentalem. Res sane est incerta. Dixi alibi quod, si oleum pro infirmis benedictum deficiat, potest ei addi etiam pluries oleum non benedictum, ita tamen ut quod singulis vicibus additur, sit semper minus illo, cui additur, etsi totum, quod additum est, simul sumptum superet oleum immediate ab Episcopo benedictum. Et hæc sententia est tuta ob responsionem Sacræ Congregationis Inquisitionis (a). Adverto insuper præceptum esse, ut renovato oleo in Paschate recens adhibeatur vetere combusto.

Materia proxima hujus Sacramenti est unctio facta cum oleo. Septuplex in Rituali Romano præscribitur unctio, nimirum in oculis, auribus, naribus, ore, & manibus, in quibus partibus resident sensus, & præterea in pedibus & renibus. Posteriores duæ unctiones per omnes non sunt de essentia: imo unctio renum in fœminis est ob decentiam omittenda. Solent autem fieri unctiones in forma crucis. An omnes aliæ sint de essentia, controvertitur: esse tamen docet S. Thomas, quia, cum hoc Sacramentum sit institutum ad tollendas reliquias peccatorum, debent inungi omnes sensus, in quibus omnium pecca-

(a) 23. *Decemb.* 1682.

torum radices sunt, & Ecclesia de his omnibus tam est sollicita, ut si forte Sacerdos ante eas completas deficiat, jubeat, ut alter Sacerdos eas compleat. Quidquid autem sit de veritate hujus sententiæ, certum est in praxi hanc esse tenendam, & solum posse adhiberi oppositam in necessitate; tunc enim si timeatur, ne possint peragi singulæ unctiones, præstat, ut moribundus ungatur unica unctione in fronte, ad quam veluti ad radicem revocantur omnes sensus.

Fert praxis, ut sensus duplicati singuli unguntur, & sic ambo unguntur oculi, ambæ aures &c., sed hoc non est essentiale. Qui organis alicujus sensus caret, ungendus est in parte proximiore; licet enim in re fortasse non peccaverit tali sensu, ut contingeret in cœco a nativitate, qui sane per aspectus illicitos non peccavit, potuit tamen peccare per desiderium abutendi tali sensu. Sacerdotibus unguntur manus in parte tantum exteriore, cum in interiori jam uncti fuerint ab Episcopo in Ordinatione. Manibus immediate facienda est unctio: si tamen adsit periculum gravis mali, ut E. G pestis, potest adhiberi aliquod instrumentum, vel etiam per aliquos tunc potest adhiberi unica unctio licet incerti valoris, quia materia certa ob maximum periculum tunc est moraliter impossibilis. Aliqui etiam volunt Parochum tunc posse omittere hoc Sacramentum, cum non teneatur illud ministrare cum periculo vitæ, stante quod non est summæ necessitatis, excepto tamen casu, quo nullum aliud Sacramentum fuisset ab infirmo susceptum; nam tunc istud per accidens evaderet maxime necessarium. Ecclesia Græca teste Arcudio ungit frontem, genas, mentum, manus, pectus, & pedes, quo moraliter videtur organa sensuum ungere.

Forma hujus Sacramenti sunt verba prolata a Sacerdote ungente. Hæc pro unctione oculorum sunt: *Per istam sanctam unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quid-*

quid per visum deliquisti. Amen: & sic proportionaliter pro aliis unctionibus. Certum est non esse de essentia illud *sanctam*, & illud *per suam piissimam misericordiam*. Incertum, utrum sit de essentia expressio sensus, qui ungitur, & illud *quidquid deliquisti*, putantibus aliquibus esse solum de essentia illa: *per istam unctionem*, quibus exprimitur actio, & quidem exercite circa talem sensum, & illa: *indulgeat tibi Deus:*

Putant aliqui nec requiri, ut forma hæc deprecatorio modo proferatur. Inter hos sunt Martene, Launojus, & Menardus testantes se in pluribus Ritualibus non deprecativam, sed indicativam formam invenisse. Et si his objiciatur, quod S. Jacobus formam adstruit deprecativam per illud: *Orent super eum*, respondent non esse novum, quod nomine orationis veniat forma indicativa, ut aliquando venit apud Patres forma eucharistica. Quidquid sit de hoc, in praxi apud nos forma deprecativa est adhibenda. Quamvis autem aliquando adhibita sit invocatio Trinitatis, certum tamen est hanc non esse de essentia, & de facto apud nos modo non adhibetur.

Cum autem in necessitate ungitur infirmus unica unctione, expedit, ut ita forma exprimatur: *Per istam sanctam unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per visum &c.*, præponendo aliis illud *deliquisti*, ut, si forte æger moriatur, antequam possint compleri omnia verba, forma habeat sensum perfectum, quem non haberet, si illud *deliquisti* reservaretur ad finem, quo, ut supponitur, æger vivus non pervenit.

CAPUT SECUNDUM.

De Extremæ Unctionis Ministro, suscipiente, & effectibus.

SIT divisio capitis ex titulo.

ARTICULUS PRIMUS.

Minister Extremæ Unctionis est Presbyter. Constat hoc ex Jacobo dicente: *Inducat Presbyteros*, quo nomine venire veros Sacerdotes constat ex sensu Ecclesiæ ita locum illum intelligentis, & ex Tridentino, quod ait (a): *Si quis dixerit Presbyteros Ecclesiæ, quos B. Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum adhortatur, non esse Sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed ætate seniores in quavis communitate, ob idque proprium Extremæ Unctionis Ministrum non esse solum Sacerdotem, anathema sit*. Ex eodem sensu, & praxi Ecclesiæ constat solis Presbyteris licere hoc Sacramentum ministrare.

Nec obstant aut quod Innocentius I. ait (b): *Oleo ab Episcopo constructo non solum Sacerdotibus, sed omnibus uti Christianis licet in sui aut suorum necessitate inungendo*, aut exempla a Launojo producta de Diaconis, qui ministraverunt Extremam Unctionem, aut quod Thomas Valdensis asserat (c) in necessitate quemlibet Christianum posse hoc Sacramentum ministrare, cum tamen Valdensis opus fuerit a Martino V. commendatum. Nam

Ad Innocentium respondent aliqui ipsum loqui de solo suscipiente, scilicet ipsum asserere posse Extremam Unctionem omnibus ministrari, cum dicat omnibus licere uti sacro oleo etiam in sui necessitate, quod, si loqueretur de Ministro, absurdum esset, cum nullus unquam voluerit posse hominem sibi Sacramentum hoc ministrare: subsistit vero, si loquatur de suscipiente; potest enim quilibet uti sacro oleo Sacerdotem vocando, qui illum ungat. Alii considerantes Innocentium fuis-

---

(a) *Sess.* 14. *can.* 4.
(b) *Ep. ad Decent.*
(c) *Lib.* 2. *de Sacram.*

fuisse interrogatum circa unctionem non passivam, sed activam respondent ipsum asserere, quod liceat cuicumque etiam laico adhibere oleum sacrum in necessitate non ad conficiendum Sacramentum, sed ad sanitatem corporalem recuperandam. Ad exempla adducta respondet P. Berti nullibi inveniri Diaconos ministrasse Extremam Unctionem; qui enim hæc exempla adducit Launojus, deceptus est, dum videns aliquando fuisse Diaconis permissum ministrare Communionem, & etiam excipere Confessionem (non utique Sacramentalem, ut dixi loquendo de Pœnitentia) credidit idem valuisse etiam circa Extremam Unctionem. Quod attinet ad Valdensem, R. cum Bellarmino illum, si ita sensit, præter omnium opinionem sensisse, adeoque deserendum esse, nec obstare approbationem operis illius; nam hoc solum approbatum fuit, ex quo egregie Viclephitas & Hussitas confutet.

Ex dictis patet invalide hoc Sacramentum a non Sacerdote conferri. Valide autem a quocumque Sacerdote confertur, quamvis licite solum ab Episcopo & Parocho respectu suarum ovium, aut ab alio de illorum licentia; unde graviter peccant, qui sine tali licentia ministrant, & Religiosi incurrunt ipso facto excommunicationem Papæ reservatam. Sufficit tamen licentia interpretativa, ut si Parochus E. G. non posset inveniri, & adesset necessitas hoc Sacramentum ministrandi. Parochus autem ad illud ministrandum tenetur sub gravi.

Potest hoc Sacramentum ministrari a pluribus etiam Sacerdotibus. Sed quoniam hæc ministratio pluribus modis potest contingere, idcirco breviter de singulis. Primo potest unus Sacerdos ungere, altero pronunciante formam unctioni respondentem, & hic modus dicitur ab aliquibus invalidus, ut esset modus sic conferendi Baptismum, sed quoniam forma Extremæ Unctionis non appellat actionem ungentis, ut appellat actionem baptizantis forma Baptismi, & talis ritus ungendi

teste Tourneli præscribitur in Sacramentario S. Gregorii, & in codice Menardi, ideo non audeo asserere invalidum Sacramentum sic collatum. Secundo potest unus Sacerdos unum sensum ungere, & proferre formam correspondentem, dum alter sic ungit alterum sensum formam correspondentem proferendo, & hic modus validus est, cum præscribatur, ut si Sacerdos non completis omnibus unctionibus deficiat, alius illas compleat, quod supponit Sacramentum posse sic a pluribus ministrari: & de facto ex Arcudio ita ministratur in Ecclesia Græca, in qua septem adhibentur Sacerdotes. Dicti autem modi extra necessitatem sunt illiciti apud nos. Tertio potest unus Sacerdos ungere omnes sensus formas corresoondentes proferendo, ita ut postea repetantur istæ unctiones ab illis successive Sacerdotibus, & tunc unctio tantum prima est Sacramentum, & hic ritus pariter est illicitus. Tandem potest unus Sacerdos ungere, & proferre formam aliis interim orantibus pro infirmo, & hic ritus & validus est & commendabilis, quamvis non necessarius.

Reprehendit quidem Calvinus nostram consuetudinem, qui per unum Presbyterum ungimus, cum tamen Jacobus plures requirat: *Inducat Presbyteros*; sed ipsi occurrimus primo dicendo non esse novum in Scripturis, quod nomen plurale sumatur pro singulari, ut cum dicitur (a): *Latrones, qui crucifixi erant cum eo* (Christo), *improperabant ei*, quod tamen de unico latrone verificatur: & cum dicitur (b): *Illudebant autem ei & milites accedentes, & acetum offerentes ei*. quod tamen ab uno tantum factum est. Secundo praxim hanc approbavit Alexander III. dicens (c): *Sacerdos unus præsente clerico & etiam solus potest infirmum ungere*: & Benedictus XIV., qui ait

(a) *Matt.* 27. (b) *Luc.* 23.
(c) *Cap.* Quæsivit *in* 5. *decret. tit.* 40. *de verber. signific.*

ait (*a*): *Nec refert, utrum Extrema Unctio per unum vel plures Presbyteros fiat, ubi hujusmodi viget consuetudo, dummodo credant & asserant illud Sacramentum servata debita materia & forma ab uno Presbytero valide & licite conferri*. Præterea multa exempla Sacramenti sic collati suppeditat Martene: modum illius sic ministrandi ostendunt decreta Ordinis Benedictini, codex antiquissimus Dominicanorum Parisiensium, aliaque apud Launojum (*b*).

ARTICULUS SECUNDUS.

Ad suscipientem modo transeo. Hic I. debet esse baptizatus, cum Baptismus sit janua omnium Sacramentorum. II. debet esse adultus rationis aliquando compos; parvuli enim & adulti perpetuo amentes non sunt capaces intentionis requisitæ, quæ aliunde non suppletur, ut ab Ecclesia suppletur in Baptismo utpote summæ necessitatis, nec pro his potest verificari forma: *Indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti &c.*, unde his etiam invalide conferetur. Quod si adultus non sit actu, sed fuerit rationis compos, valide & licite hoc Sacramentum illi conferetur, si possit in ipso supponi intentio interpretativa. III. debet esse infirmus. Hoc docet tum Florentinum dicens (*c*): *Hoc Sacramentum nisi infirmo, de cujus morte timetur, dari non debet*: tum Tridentinum inquiens (*d*) *Christum finem vitæ hoc Sacramento tanquam præsidio quodam firmissimo munivisse*: & colligitur ex S. Jacobo dicente: *Infirmatur quis in vobis?* unde non infirmus non est capax hujus Sacramenti. Hinc non sunt illius capaces aut milites

(a) *Constit.* Etsi Pastoralis.
(b) *Volum.* 1
(c) *In decr. Eugen. pro union Armen.*
(d) *Seſs.* 14. *de hoc Sacram.*

tes proxime bellum inituri, aut proxime a carnifice occidendi, quia isti infirmi non sunt. Si tamen quis damnatus sit ad mortem ex veneno, poterit hoc sumpto Sacramentum recipere, quia tunc verificatur infirmitas, ut etiam illius capaces sunt senes morti proximi ratione præcise senectutis, quia senectus ipsa est morbus.

IV. Debet esse infirmus periclitans de vita; ita enim semper Ecclesia intellexit dictum Jacobi: *Infirmatur quis in vobis?* Non ergo debet hoc Sacramentum conferri infirmis laborantibus morbo non periculoso, nec mulieribus parturientibus, nisi tamen extraordinarium adsit periculum vitæ. Si autem falso putetur adesse tale periculum, licet multi doceant invalidum fore Sacramentum, alii tamen illud dicunt validum, tum quia Florentinum dicit illud dari debere iis, de quorum vita timetur, quod verificatur in casu: tum quia alias sæpe exponeretur periculo frustrationis. Ubi etiam adverto teneri sub lethali Parochum ad non expectandum, quod infirmus sit sensibus destitutus, sed conferre illud debere, si fieri potest, cum hic est sui compos. V. probabiliter est capax hujus Sacramenti adultus rationis compos, qui nunquam peccasset; nam videtur sufficere, quod potuerit peccare, cum verba formæ: *Indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti* possint explicari: *si deliquisti* juxta modum loquendi D. Jacobi: *Et si in peccatis sit, remittentur ei*, qui modus salvatur posita sola potentia peccandi. Unde. infert Suarez Extremam Unctionem fuisse etiam Deiparæ collatam, quod tamen non est certum. VI. debet suscipiens aliquam habere intentionem, quæ sufficit, ut sit interpretativa, & debet esse constitutus in gratia, quia hoc est Sacramentum vivorum.

ARTICULUS TERTIUS.

Tres assignantur effectus hujus Sacramenti peculiares. Primus alleviatio infirmi, quam sic expli-

plicat Tridentinum (*a*): *Ægroti animum alleviat & confirmat magnam in eo divinæ miſericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus ſublevatus & morbi incommoda ac labores levius fert, & tentationibus Dæmonis calcaneo inſidiantis facilius reſiſtit*. Hæc autem alleviatio fit per gratias actuales: ſecundus remiſſio peccatorum, & abſterſio reliquiarum illorum: tertius ſanitas vel totalis, vel partialis corporis, ſi animæ expedierit. Circa hos effectus tria poſſunt inquiri: primo quid veniat nomine *peccatorum*, ſecundo quid nomine *reliquiarum peccatorum*, tertio quinam inter illos ſit effectus primarius.

Circa primum ſentiunt plerique Extremam Unctionem per ſe non delere niſi venialia, alias eſſet Sacramentum mortuorum. Sed alii, inter quos Bellarminus, Maldonatus, Tournely, Plateilius &c. ſentiunt illam per ſe delere etiam mortalia, quod deducunt tum ex S. Jacobo generaliter dicente: *Si in peccatis ſit, remittentur ei*, tum ex forma, in qua generaliter habetur: *Indulgeat tibi Deus quidquid deliquiſti*. Nec ideo, inquit Platellius, Extrema Unctio eſt Sacramentum mortuorum; nam non eſt inſtituta ad delenda mortalia niſi in certis caſibus, cum ſcilicet peccata non fuerunt dimiſſa vi Pœnitentiæ ex occulto aliquo defectu, vel cum commiſſa ſunt poſt confeſſionem, ſed memoria exciderunt, vel cum homo per phreneſim, apoplexiam, aut aliud ſimile factus eſt incapax confeſſionis, nec antea de illis habuit contritionem, ſed ſolum attritionem. Ex alia autem parte debet ipſi, ſi fieri poteſt, præmitti Sacramentum mortuorum, nempe Pœnitentia. Igitur potius inter Sacramenta vivorum, quam mortuorum eſt recenſenda. Et hæc quidem ſententia magnam habet probabilitatem.

Cir-

(a) *Seſſ. 14. cap. 2.*

Circa secundum dico nomine reliquiarum peccati venire ægritudinem, anxietatem, tristitiam, torporem animi, reatum pœnæ &c., quæ remanere solent in anima dimisso peccato.

Circa tertium D. Thomas putat primarium effectum Extremæ Unctionis esse alleviationem infirmi supra explicatam, Scotus vult esse remissionem peccatorum. Fortasse hæ duæ sententiæ ita possunt conciliari: vel nomine effectus primarii intelligitur id, ad quod alii effectus diriguntur, vel intelligitur id, cujus positio præcedit positionem aliorum. Si primum, effectus primarius est alleviatio infirmi; nam ad illam dirigitur etiam remissio peccatorum: si secundum, effectus primarius est remissio peccatorum; nam non potest intelligi supradicta alleviatio nisi remisso peccato.

Cum effectus jam dicti per se non sint absolute necessarii ad salutem, hinc docent plures per se non teneri ægrotum sub gravi hoc Sacramentum recipere, quod tamen dicunt valere secluso scandalo & contemptu, quæ cum raro absint, ideo dicunt raro excusari a mortali illud recusans, certe a veniali nunquam excusari, cum illud negligere magnam præseferat negligentiam propriæ salutis. Hanc negligentiam adeo magnam putant alii, ut in casu agnoscant etiam lethale. Et sane, inquiunt hi, si attendatur ex una parte vehementia tentationum, quas Diabolus in morte immittit, & difficultas iis resistendi orta ex infirmitate, ex alia parte periculum proximum æternæ damnationis, nisi resistatur, charitas erga se ipsum videtur sub gravi obligare infirmum, ut se muniat hoc Sacramento. Hæc talia mihi videntur, ut, quidquid sit de veritate speculativa primæ sententiæ, vix excusandum putem a lethali, qui negligit hoc Sacramentum. Ad illud autem certo tenebitur infirmus sub gravi, cum illius effectus est necessarius ad salutem, ut cum ipse nullum aliud Sacramentum potuit suscipere.

Cum hoc Sacramentum non imprimat characterem, potest iterari. Non autem debet iterari

in

in eadem infirmitate, ſi duret prius periculum mortis, in quo jam fuit collatum: quod ſi illud ceſſet, & poſtea durante eadem infirmitate aliud poſt notabile tempus ſuperveniat, poterit repeti, & hoc multo magis, ſi poſtquam ceſſavit prior infirmitas, alia diverſa & periculoſa ſuperveniat.

DISSERTATIO VI.

De Sacramento Ordinis.

DIſſertationem hanc in duo capita divido. In 1. exponam naturam hujus Sacramenti: in 2. agam de illius miniſtro, ſuſcipiente, effectibus &c.

CAPUT PRIMUM.

Exponitur natura Sacramenti Ordinis.

AFferam hic 1. definitionem Ordinis, & oſtendam illum eſſe Sacramentum: 2. agam de variis Ordinum gradibus, atque ſingulorum naturam exponam, & munera illis correſpondentia: 3 agam de materia & forma ſingulorum Ordinum: 4. examinabo, utrum Epiſcopi ſint de jure divino majores ſimplicibus Presbyteris.

ARTICULUS PRIMUS.

Ordo poteſt ſpectari active, & paſſive: active eſt cæremonia, qua aliquis conſecratur Dei miniſter, & quæ melius fortaſſe diceretur *ordinatio*. Paſſive eſt dignitas ſeu gradus reſultans ex illa cæremonia, quem gradum & ipſum venire nomine Ordinis patet, ex quo aliquis etiam transacta

dicta

dicta cæremonia dicitur habere Ordinem E G. Diaconatus, Presbyteratus &c. Ordo sumptus primo modo est quid transiens, & sic illud est, quod habet rationem Sacramenti: sumptus vero secundo modo est quid permanens, & potius est effectus Sacramenti, quam Sacramentum. De Ordine præcipue active sumpto hic agitur.

Definitur ergo hic Ordo *Sacramentum novæ legis, quo traditur spiritualis potestas relate ad Eucharistiam rite conficiendam vel ministrandam.*

Ordinem esse verum Sacramentum negant Wiclephus, & plerique ex moderníoribus Hæreticis contendentes distinctionem inter Clericos & Laicos ex solo jure humano provenire, non ex vero Sacramento. Contra hos sit

Assertio. *Ordo est verum Sacramentum*. Est de fide.

Prob. ex Scripturis. In his habetur mentio ordinatorii ritus externi, ut ibi de septem Diaconis electis ab Apostolis dicitur (a): *Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus:* & ubi Apostolus ad Timotheum scribens dicit (b): *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum Presbyterii*. Hic ritus externus dicitur collativus gratiæ, ut constat ex ultimo loco, & si iste ritus est collativus gratiæ, non potest non esse institutus a Deo, cujus solius est signis externis adnectere gratiam. Tandem iste ritus est perpetuus; nam deputatio ministrorum jugiter debet vigere juxta illud (c): *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Chsisti, donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionis Filii Dei*. Ergo &c.

Prob.

(a) *Act.* 6. (b) 1. *Timoth.* 4.
(c) *Ephes.* 4.

Prob. ex sensu Ecclesiæ tum Græcæ, tum Latinæ, quam utramque Ordinem ut Sacramentum agnovisse constat ex antiquissimis Ritualibus, & Euchologiis. Accedit quod Chalcedonense (a) jubet de gradu dejici Episcopos, qui *propter pecunias Ordinationes fecerint, & non venalem gratiam in venditionem deduxerint:* ubi asseritur per Ordinationem gratiam tribui: & Tridentinum inquit (b): *Si quis dixerit Ordinem seu sacram Ordinationem non esse verum & proprium Sacramentum a Christo Domino institutum, vel esse figmentum quoddam humanum excogitatum a viris rerum Ecclesiasticarum imperitis, aut esse tantum ritum quemdam eligendi ministros verbi Dei & Sacramentorum, anathema sit.*

Prob. ex Patribus. Sufficiat Augustinus inquiens (c): *Ipsi explicent, quomodo Sacramentum baptizati non possit amitti, & Sacramentum ordinati possit amitti; si enim utrumque Sacramentum est, quod nemo dubitat, cur illud non amittitur, & illud amittitur? Neutri Sacramento injuria facienda est.* Ergo &c.

Institutum est hoc Sacramentum a Christo in ultima cæna, cum instituit Sacramentum Eucharistiæ, dixitque Apostolis: *Hoc facite in meam commemorationem*, quo etiam tempore illos ordinavit Sacerdotes.

ARTICULUS SECUNDUS.

Sacramentum hoc septem veluti gradibus constat, qui sunt septem Ordines a Tridentino enumerati (d), videlicet *Presbyteratus* (duos veluti gradus continens, nimirum *simplicem Presbyteratum*,

---

(a) *Canon.* 2.
(b) *Sess.* 23. *canon.* 3.
(c) *Lib.* 2. *contr. Parmen. cap.* 13.
(d) *Sess.* 23. *cap.* 2.

tum, & *Episcopatum*) *Diaconatus*, *Subdiaconatus*, *Accolythatus*, *Exorcistatus*, *Lectoratus*, & *Ostiariatus*. Istorum Ordinum faciunt mentionem Cornelius Papa sæculo tertio (*a*), & Cajus Papa, ut constat ex Pontificali collecto ab Anastasio Bibliothecario: Synodus Romana Sylvestro adscripta quarto sæculo, Concilium Chartaginense IV. eodem sæculo, aliaque permulta monumenta apud Auctores videnda.

Quo loco advertendum plures fuisse, vel etiam nunc esse dignitates & officia Ecclesiastica, quæ tamen veri Ordines non sunt. Horum principaliora sunt *Papatus*, *Cardinalatus*, *Patriarchatus*, *Archiepiscopatus*, *Corepiscopatus*, *Vicariatus*, *Archidiaconatus*, *Archipresbyteratus*, *Canonicatus*, officium *Parochi*, officium *Pœnitentiarii*, officium *Fossariorum*, *Psalmistarum*, & *Custodum Martyrum*. De singulis non abs re erit pauca dicere.

Papatus est prima dignitas Ecclesiæ, quæ competit Episcopo Romano ut successori D. Petri, qui proinde omnibus omnino fidelibus præest. De hac dignitate, cum plura dixerim in tractatu de locis Theologicis, nihil hic adjungam.

Cardinalatus dignitas illa amplissima, quæ primum modo locum tenet in Ecclesia post R. Pontificem, non videtur esse de institutione divina, quidquid in contrarium dicat Turrecremata cum aliis. Sic autem ortum habuit hæc dignitas. Ecclesiæ principales Romæ præsertim in duplici erant classe, aliæ erant Parochiæ, ad quas fideles conveniebant, ut Sacramenta perciperent, & hæ antiquitus dicebantur *Tituli*: aliæ erant Diaconiæ, erantque publica quædam veluti pauperum hospitia. Hæ principales Ecclesiæ, ut a cæteris minus principalibus distinguerentur, diceban-

(a) *Epist. ad Fabium Antiochen.*

bantur Ecclesiæ Cardinales, idest principales; qui autem istis Ecclesiis præerant Presbyteri, vel Diaconi, Cardinales dicebantur. Hoc nomen, quod etiam Presbyteris, vel Diaconis Ecclesiarum aliarum civitatum aliquando tributum est, cœpit veluti antonomastice tribui solum jam dictis Presbyteris, & Diaconis Ecclesiæ Romanæ, qui propter propinquitatem cum Summo Pontifice maxime semper fuerunt honorabiles. In hunc Cardinalium numerum cooptati etiam sunt Episcopi Romæ vicini, videlicet Ostiensis, Portuensis, Sabinensis, Prænestinus, Tusculanus, & Albanensis, sicque conflatum est collegium Cardinalium ex tribus Ordinibus constans, ex Episcopis videlicet, Presbyteris, & Diaconis. Horum numerus aliquando major, aliquando minor hodie redactus est ad septuagenarium, quorum sex sunt Episcopi, quinquaginta Presbyteri, quatuordecim Diaconi. Rubro ornatu eos decoravit Paulus II. Antiquitus Cardinalibus non Episcopis præerant Episcopi etiam non Cardinales, sed modo Cardinalium etiam non Episcoporum honorabilior censetur dignitas ipsorum Episcoporum dignitate propter conjunctionem, quam habent cum Summo Pontifice, & regimen universalis Ecclesiæ, quod aliquo modo illis committitur, cum Episcopis particularium solum Diœcesum regimen committatur.

Patriarchatus est dignitas, qua aliquis Episcopus sibi subditas habet plures Metropoles. Tres fuerunt a S. Petro constituti Patriarchatus, nimirum Antiochenus, & Romanus per se, Alexandrinus per D. Marcum. Romanus, in quo Petrus fixit sedem suam stabiliter, semper fuit præcipuus: post ipsum Alexandrinus in gratiam civitatis, quæ Antiochiæ præeminebat: tertius Antiochenus. Istis fuerunt postea additi alii duo, videlicet Constantinopolitanus, & Hierosolymitanus, ita ut in gratiam Imperatorum prima dignitas post Romanum Patriarcham fuerit tandem concessa Constantinopolitano. Tractu postea temporis

poris fuerunt erecti alii minores Patriarchatus, ut Aquilejensis, Gradensis, Indiarum, & Ethyopiæ. Dixi *Patriarcham sibi habere subditas plures Metropoles;* nam nedum plures Episcopi ipsi sunt subditi, sed etiam Archiepiscopi Metropolitani, de quibus statim.

Archiepiscopi sunt veluti Principes Episcoporum alicujus Provinciæ, unde etiam dicuntur *Metropolitani* a Metropoli, seu præcipua civitate Provinciæ, quæ solet illorum esse sedes. Hi in Episcopos propriæ Provinciæ jurisdictionem habent.

Corepiscopi antiquitus dicebantur illi, qui pagis & villis loco Episcopi præerant, quique eadem ferme præstabant, ac modo præstant Parochi. Aliqui erant simplices Presbyteri, alii erant etiam ordinati Episcopi, sed non habebant propriam Diœcesim, unde Diœcesi alterius Episcopi inserviebant. Vicarii sunt illi, qui ab Episcopo veluti donantur propria auctoritate vel generaliter, & ita, ut Diœcesim ipsis commissam totam gubernent simul cum ipsis, dependenter tamen ab ipsis, & tunc dicuntur *generales*: vel solum quoad aliquam partem, & tunc dicuntur Vicarii foranei. Archidiaconi sunt primi inter Diaconos; cum enim antiquitus alicui Urbi dabatur Episcopus, simul cum illo constituebantur Diaconi, quorum prior dicebatur Archidiaconus, & huic concedebatur etiam jurisdictio pro foro externo, unde quoad jurisdictionem & dignitatem major erat Archipresbytero, qui solum habebat jurisdictionem in foro interno, & relate ad curam animarum. Archipresbyter est primus inter Presbyteros. Archipresbyteri tales aliquando dicebantur ætate, aliquando meritis, nunc ut plurimum sunt veluti Parochi Cathedralis, aut aliarum Ecclesiarum principaliorum in Diœcesi.

De Canonicis, & Parochis, & Pœnitentiariis nihil hic dicam, cum istorum officiorum natura omnibus nota sit. Fossarii antiquitus dicebantur Clerici deputati ad sepeliendos mortuos. Psalmi-

stæ

stæ dicebantur Clerici deputati ad psallendum in Ecclesia. Custodes Martyrum erant Clerici, quibus cura demandabatur custodiendi Martyrum reliquias.

Dixi *istas dignitates & officia non esse Ordines proprie tales*; nam nullum eorum importat peculiarem consecrationem relate ad Eucharistiam, sed solum aliquid accidentaliter adnexum Ordinibus; Papatus enim est solum extensio jurisdictionis Episcopalis: Cardinalatus, ut dixi, est solum dignitas de jure humano instituta: Patriarchatus & Archiepiscopatus non important nisi Ordinem Episcopatus cum ampliori jurisdictione: Corepiscopatus non importat nisi vel Episcopatum, vel Presbyteratum, sicut alii gradus non important nisi vel Presbyteratum, vel Clericatum cum aliquo accidentali addito. Ergo &c.

Sed jam ad Ordines proprie tales revertendo adverto primo contendere multos Theologos magni nominis non admitti a Græcis septenarium numerum Ordinum, cum tres e minoribus respuant. Sed alii volunt omnes septem ab illis admitti, quamvis ut plurimum viros digniores promoveant per saltum ad majores tribus jam dictis prætermissis.

Inter Ordines non enumeravi Tonsuram, illam scilicet tonsionem capillorum, quæ fit ab Episcopo, cum homo inter Clericos computatur, quia hæc Ordo non est; Cathechismus enim Romanus ait (*a*) *Tonsuram quandam esse præparationem ad Ordines suscipiendos*. Præterea Tridentinum (*b*) vult, ut, si aliquis non a proprio Episcopo ordinetur, tam ordinans quam ordinatus sint suspensi, & tamen S. Congregatio ex Fagnano (*c*) decla-

(a) *Part. 2. cap. 7. n.* 13.
(b) *Sess.* 23. *cap.* 8.
(c) *In cap.* Cum contingat.

claravit Episcopum Hieracensem ob primam Tonsuram extraneo collatam non fuisse suspensum, quoniam *Tonsura a Concilio* non *habetur pro Ordine*. Adde nullum ex veteribus monumentis, quæ Ordines recensent, Tonsuræ mentionem facere. Tandem etsi Tonsura constituat hominem Clericum, non tamen illi dat peculiare officium circa Eucharistiam.

Fuit hæc Tonsura instituta vel, ut aliqui volunt, a D. Petro in memoriam spineæ coronæ Christi, vel, ut volunt alii, præcise in distinctivum Laicorum a Clericis, vel tandem veluti in coronam denotantem regiam dignitatem status clericalis.

Ordines alii sunt majores, alii minores. Minores sunt Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, & Accolythatus: tres reliqui majores. Ideo autem isti dicuntur majores, alii minores, quia illi & proximius istis referuntur ad Eucharistiam, & habent adnexam obligationem castitatis, quam isti non habent. Antiquitus tamen Subdiaconatus inter minores computabatur, quia non habebat adnexam obligationem castitatis.

An omnes isti Ordines sint Sacramenta, controvertitur. Controvessia autem reducitur ad Subdiaconatum & minores; nam certum est de fide Presbyteratum esse Sacramentum, cum de illo præcipue verificetur illud Tridentini; (a) *Si quis dixerit per Sacram Ordinationem non dari Spiritum S. ac proinde frustra Episcopos dicere: accipe Spiritum S., aut per eam non imprimi characterem, anathema sit*. Pariter probabissimum est & moraliter certum, quod sit Sacramentum Diaconatus; nam & ille habet suam materiam & formam, & confert gratiam, ut constat ex verbis Episcopi in ordinatione Diaconi: *Accipe Spi-*

(a) *Sess.* 23. *can.* 4.

Spiritum S. Ut interim omittam, quod tam excelsa sunt offiaia Diaconi, ut ad ea digne exercenda specialis requiratur gratia, quam decens est conferri per Sacramentum.

Circa Subdiaconatum ergo & minores divisi sunt Theologi. Ipse utriusque partis momenta indicabo, aliis relinquens rei definitionem. Qui negant, nituntur auctoritati I. Urbani II dicentis: (*a*) *Sacros Ordines dicimus Diaconatum, & Presbyteratum; hos siquidem solos primitiva legitur Ecclesia habuisse, super his solis præceptum Apostolicum habemus*. II. Ecclesiæ Græcæ, quæ Ordines minores omittit excepto Lectoratu, quem tamen non videtur agnoscere ut verum Sacramentum. III. Ecclesiæ etiam Latinæ, in qua fuerunt aliquando hi Ordines omissi, qui sane non fuissent omissi, si essent Sacramenta. Ex his concludunt hos Ordines esse tantum sacramentalia ab Ecclesia instituta.

Qui vero affirmant, nituntur auctoritati I. Florentini (*b*), quod, postquam dixit sextum Sacramentum esse Ordinem, addit omnes Ordines materiam & formam propriam habere, unde videtur sub generali nomine Sacramenti omnes Ordines comprehendere, adeoque omnes dicere Sacramenta. II. Tridentini, quod, postquam dixit (*c*) *in Ecclesia præter Sacerdotium esse alios Ordines & majores, & minores*, subdit generaliter (*d*) Ordinem seu sacram Ordinationem esse vere & proprie Sacramentum a Christo institutum. III. Pontificalis Romani, in quo sic præscribitur Episcopo: (*e*) *Moneat ordinandos, quo d instrumenta, quibus character imprimitur, tangant*,

(a) *apud Ivon. p. 5. decret.*
(b) *in decret. Eug. pro instruct. Arm.*
(c) *Sess. 23. Can. 2.* (d) *Can. 3.*
(e) *titul. de Ordin. confer.*

gant, ubi supponitur generaliter in omnibus Ordinibus imprimi cheracterem, quod indicat illos omnes esse Sacramenta.

Ad auctoritatem vero Urbani respondent ipsum solum asserere alios Ordines præter Presbyteratum, & Diaconatum non esse sacros (cohærenter ad praxim antiquam non numerandi Subdiaconatum inter sacros), & illorum collationem arbitrio Ecclesiæ esse concessam. Græci vero, inquiunt, vel alios etiam Ordines admittunt, licet subinde illos non conferant, vel, si non admittunt, id toleratur ab Eeclesia, cum non sit certum illos esse Sacramenta: & si Ecclesia Latina aliquando minores Ordines omisit, illos omisit solum, quia judicavit expediens per saltum ordinare, quod postea tractu temporis fuit prohibitum. Cæterum ex hac omissione non colligi ipsos non esse Sacramenta patet ex quo etiam aliquando omissus est Diaconatus, ut ex Theodoreto narrat P. Berti de Macedonio, Acepsima, & Salamana, & tamen certo Diaconatus est Sacramentum.

Nunc jam de singulorum ordinum quidditate agendum. Ostiaratus igitur est *Ordo*, *per quem datur spiritualis potestas claudendi*, *aperiendi*, *&* *custodiendi Esclesiam*, sicque officium Ostiarii est nedum aperire & claudere Ecclesiam, sed etiam vocare ad illam fideles per sonum præcipue campanæ, arcere ab illa indignos, & curam gerere sacræ suppellectilis. Hæc omnia licet passim exerceantur a Laicis, non tamen exercentur ex officio, sed tantum vel ex commissione, vel ex devotione, vel ex necessitate; ex officio enim a solo Ostiario exercentur. Referuntur autem hæc ad Eucharistiam, quia finis hæc exercendi est, ut locus, personæ, vestes, altaria &c. sint apta pro confectione Eucharistiæ.

Lectoratus est *Ordo*, *per quem datur spiritualis potestas legendi Scripturas in Ecclesia*. Lectoris ergo officium est præcipue legere Scripturas in Ecclesia (ut sunt E. G. primæ lectiones

Ne-

Nocturnorum, & Prophetiæ, seu primæ Epistolæ, quæ in Missa aliquando leguntur), non tamen ultimam Epistolam, & Evangelium. Hæc referuntur ad Eucharistiam, quatenus per lectionem illam disponuntur fideles ad Eucharistiam digne percipiendam: imo cum Lector fideles disponat interne, Ostiarius vero solum externe, ideo nobilior est Ostiaratu Lectoratus. Est etiam officium Lectoris tradere Cathecumenis rudimenta fidei.

Exorcistatus est *Ordo, quo datur spiritualis potestas imponendi manus super Energumenos, & legendi Exorcismos ad Dæmones fugandos*. Ex hoc patet, quodnam sit præcipuum Exorcistæ officium, ob quod etiam dignior est hic Ordo Lectoratu; nam Lector tantum recitat verbum Dei, Exorcista autem auctoritative & potestative utitur verbo Dei ad ejiciendos Dœmones. Hæc autem ordinantur ad Eucharistiam, quatenus Exorcista expellendo Diabolum a fidelibus illos disponit ad illam recipiendam. Ubi noto Exorcistam posse tantum imponere manus super vexatos a Dœmone in corpore; nam vexati in anima ad ipsum non spectant, ut non spectant nisi Energumeni vel baptizati, vel cathecumeni. Est etiam officium Exorcistæ parare locum communicaturis. Non autem statim ac Exorcista est ordinatus, potest exorcizare; nam ad hoc præter facultatem Ordinis requiritur etiam facultas jurisdictionis, quam debet accipere ab Episcopo.

Accolytathus est *Ordo, quo datur spiritualis potestas accendendi lumina, eaque deferendi ad Altare, ac ministrandi Subdiacono in Sacrificio præcipue ipsi exhibendo urceolos*. Ex hoc patent munera Accolythi, & quomodo Accolytathus referatur ad Eucharistiam, & quare aliis minoribus præstet; proximius enim refertur ad Sacrificium.

Subdiaconatus sive *Hypodiaconatus* sic dictus, ex quo hic Ordo sit infra Diaconatum, est *Ordo sacer, quo traditur spiritualis potestas inserviendi Diacono in Missa solemni, deferendi ad Alta-*

re materiam consecrandam, & legendi in eadem Missa Epistolam. Ex his patet quænam sint præcipua munera Subdiaconi, quibus addi possunt alia minus principalia, ut ministrare aquam in Missa solemni, & deferre crucem in Processionibus: patet etiam quomodo hic Ordo referatur ad Eucharistiam.

Diaconatus est *sacer Ordo, quo traditur spiritualis potestas assistendi & ministrandi Presbytero in Missa solemni* (ex quo ortum est nomen *Diaconi*, quod significat *Ministrum*) *& legendi solemniter Evangelium*. Et jam patet quænam sint munera Diaconi: præter quæ tamen alia olim erant illius munera minus principalia, ut ministrare sanguinem Domini communicantibus, habere curam bonorum Ecclesiasticorum &c. Etiam autem nunc potest baptizare deficiente Sacerdote proportionaliter ad dicta, ubi de Baptismo. Patet etiam, quam proxime hic Ordo referatur ad Eucharistiam.

Presbyteratus est *Ordo sacer, quo traditur spiritualis potestas consecrandi panem & vinum, & absolvendi fideles a peccatis*. Derivatur nomen *Presbyteratus a presbytero*, quod idem sonat ac *senior*, quia hic Ordo non debet conferri nisi senibus prudentia. Præcipua munera Presbyteri ex data definitione jam patent. Minus principalia sunt esse præconem verbi Dei, internuncium inter Deum & hominem, ministrare Sacramenta &c.

Venio modo ad Episcopatum. *Episcopatus* dicitur a subjecto, quod est *Episcopus*, hic autem idem est ac *speculator*, quod nomen optime convenit insignitis hac dignitate, cum ad illos spectet invigilare super fideles. Episcopatus igitur est *sacer Ordo, quo Sacerdoti traditur spiritualis potestas ordinandi Ministros Eucharistiæ, consecrandi, & ministrandi Chrisma, aliaque principaliora munera exercendi*. Ex hoc patet Episcopatum esse verum Ordinem; nam per illum traditur spiritualis potestas relate ad Eucha-

chariſtiam conficiendam, cum tradatur facultas ordinandi Miniſtros ipſius Euchariſtiæ. Patet etiam diſcrimen inter Epiſcopatum relate ad Presbyteratum ex una parte, & Presbyteratum relate ad alios inferiores Ordines ex alia; nam cum Presbyteratus non ſupponit eſſentialiter inferiores Ordines, poteſt valide ſine illis conferri, Epiſcopatus autem, cum Presbyteratum eſſentialiter ſupponat, & in ſe tanquam partem includat, nequit valide ſine illo conferri. Tandem patent munera Epiſcopi, quæ ſunt ordinare Miniſtros Euchariſtiæ, benedicere & miniſtrare Chriſma, aliosque præcipuos actus Eccleſiaſticos exercere.

Epiſcopatus eſt verum Sacramentum; nam fere omnia ſupra adducta ad probandum generaliter Ordinem eſſe Sacramentum ſpecialiter referuntur ad Epiſcopatum. Præterea eſt cæremonia ſacra & ſenſibilis: ut infra oſtendam aſſignando illius materiam & formam: eſt divinitus inſtitutus; Apoſtoli enim fuerunt ordinati Epiſcopi ab ipſo immediate Chriſto: confert gratiam, ut patet ex iiſdem locis, quæ ſupra: imprimit characterem, cum certum ſit illum eſſe initerabilem, & in hoc charactere fundantur ſpeciales facultates Epiſcopales.

Difficultas eſt, utrum ſit Sacramentum a Presbyteratu diſtinctum, & cum, ut dixi, pars Epiſcopatus ſit ipſe Presbyteratus, quæſtio non poteſt inſtitui niſi de Epiſcopatu ſpectato quoad alteram partem. Putant multi Epiſcopatum ita ſpectatum non eſſe Sacramentum diſtinctum a Presbyteratu, ſed ſolum extenſionem characteris Sacerdotalis. Alii putant Epiſcopatum eſſe Sacramentum a Presbyteratu diſtinctum. Et hæc quidem ſententia videtur probabilior; nam Ordinatio Epiſcopi habet peculiarem materiam & formam: in ea nova confertur gratia, ut patet ex verbis in illa prolatis: *Accipe Spiritum S.* nova confertùr poteſtas. Ergo &c.

Nec juvat reſpondere per Epiſcopatum ſolum gratiam & characterem Presbyteratus extendi;

 nam

nam hoc admisso posset etiam dici per Presbyteratum solum gratiam & characterem Diaconatus extendi. Hoc non. Ergo &c. Præterea, ut inquit Bellarminus, magis distant a se invicem potestas confirmandi, & consecrandi Eucharistiam, quam potestas legendi Evangelium & Epistolam in Missa. Si ergo propter ista duo ponitur Sacramentum Diaconatus ut distinctum a Subdiaconatu, a fortiori propter illa debebunt admitti duo Sacramenta distincta, adeoque Presbyteratus correspondens consecrationi Eucharistiæ erit Sacramentum distinctum ab Episcopatu correspondente Confirmationi.

ARTICULUS TERTIUS.

De materia modo & forma singulorum Ordinum acturus fateor me potius expositurum quid sentiant alii, quam quod ipse sentio; adeo enim implexa sunt, quæ de hac re circumferuntur, ut fere impossibile sit aliquid tuto definire. Post relatas tamen aliorum sententias saltem celebriores meam qualecumque judicium breviter exponam.

Nihil hic dicam de Tonsura, cum hæc ex supra visis Ordo non sit. Adverto tantum illam conferri ab ordinante, cum tondet capillos ordinandi dicendo simul cum illo hæc verba: *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei, tu es qui restitues hæreditatem meam mihi*.

Materia remota Ostiariatus dicuntur esse claves Ecclesiæ, prox ma illarum traditio & tactus: forma verba ab Episcopo prolata: *Sic age quasi rationem Deo redditurus pro his rebus, quæ his clavibus includuntur*. Aliæ cæremoniæ, ut aperire & claudere januam, & pulsare campanam per omnes sunt ritus accidentales, & potius spectant exercitium Ordinis, quam collationem potestatis.

Pro materia remota Lectoratus solet assignari liber continens Prophetias & lectiones, quas juxta supra dicta debet legere promotus ad hunc ordinem: pro materia proxima illius traditio & ta-

tactus; pro forma hæc verba: *Accipe, & esto verbi Dei relator, habiturus, si fideliter & viriliter officium tuum impleveris, partem cum iis, qui verbum Dei ab initio bene ministrarunt.*

Pro materia remota Exorcistatus solet assignari liber Exorcismorum, vel Missale, vel Pontificale Romanum (in hoc enim Pontificali monetur Episcopus ipsum posse vel unum, vel alterum ex his libris tradere); pro materia proxima hujus libri traditio & tactus: pro forma hæc verba: *Accipe & commenda memoria, & habe potestatem imponendi manus super Energumenos sive baptizatos sive cathecumenos.*

Materia remota Accolytathus duplex statui solet, nimirum candelabrum cum cereo extincto, & urceolus vacuus, proxima vero traditio & tactus utriusque: forma pro traditione candelabri hæc verba: *Accipe ceroferarium cum cereo, & scias te ad accendenda Ecclesiæ lumina mancipari in nomine Domini*: pro traditione vero urceoli: *Accipe urceolum ad suggerendum vinum & aquam in Eucharistiam Sanguinis Christi in nomine Domini.* Communius autem utraque materia & forma statuitur ut essentialis.

Materia remota Subdiaconatus duplex statui solet, nimirum calix vacuus cum patena vacua, & liber Epistolarum, proxima istorum traditio & tactus: forma priori materiæ correspondens hæc verba: *Videte cujusmodi ministerium vobis traditur, ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis*, correspondens vero secundæ hæc alia: *Accipe librum Epistolarum, & habeto potestatem legendi in Ecclesia sancta Dei tam pro vivis, quam pro defunctis.* Multi contendunt esse tantum essentialem Subdiaconatui traditionem patenæ & calicis cum sua forma; nam Eugenius IV. (a) traditionis libri Epistolarum mentio-

(a) *in instruct. Armen.*

tionem non facit. Sed alii volunt hanc etiam traditionem esse essentialem ex eadem ratione, qua ex infra dicendis volunt esse essentialem Diaconatui traditionem libri Evangeliorum. Aliqui etiam sustinent non requiri, quod calix & patena sint consecrata, aliis sentientibus contrarium, & ita in praxi est agendum. Plures etiam docent non sufficere solum calicem, vel solam patenam, quia per alterutrum istorum non denotatur deputatio ad Sacrificium, quod utramque speciem requirit. Quod si calix traderetur cum vino, & patena cum hostia, validam dicunt ordinationem, quia, ut inquit Lugo, utile per inutile non vitiatur. Quæ postea traduntur Subdiacono tangenda, ut sunt urceoli, manutergium &c., spectant certe ad materiam tantum accidentalem, cum non tradantur ab Episcopo.

Circa materiam & formam Diaconatus maxima dissensio. Alii materiam constituunt in sola impositione manuum (materiam inquam proximam; remota enim hoc admisso erunt manus ordinantis). Sed cum hæc impositio & fiat singillatim cuilibet ordinando dicendo: *Accipe Spiritum S. ad robur & ad resistendum Diabolo, & tentationibus ejus in nomine Domini*, & postea fiat in communi respectu omnium, cum Episcopus extensam manum super ordinandos tenens inquit: *Emitte in eos, quæsumus Domine, Spiritum S. &c.*, alii primam impositionem assignant pro materia, & prima verba pro forma, alii stant pro posteriore impositione & oratione. Alii materiam proximam constituunt in sola porrectione & tactu libri Evangeliorum, qui liber consequenter erit per ipsos materia remota, formam vero in illis tantum verbis: *Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei tam pro vivis, quam pro defunctis*. Alii contendunt esse quidem materiam essentialem porrectionem libri, sed volunt pertinere ad essentiam etiam aliquam manuum impositionem, quæcunque ea sit, quod proportionaliter dicunt de formis.

Isto-

Iſtorum communior eſt ſententia, quam ita probant. Primo ad eſſentiam Diaconatus pertinet aliqua manuum impoſitio, cum illius mentionem faciant Scripturæ, Concilia, & Patres, imo certum ſit primos Diaconos tempore Apoſtolorum fuiſſe ordinatos cum ſola hac impoſitione, vel ſaltem abſque traditione libri Evangeliorum, cum hic tunc non extaret; Evangelia enim nonniſi aliquot annis poſt Chriſtum ſcripta fuere, quod ſi ſubſiſtit, forma correſpondens erit & ipſa eſſentialis. Et quamvis Florentinum (a) impoſitionis manuum non meminerit, hanc tamen ſubintellexit ut rem uſitatam. (Ubi addunt aliqui fortaſſe dici poſſe utramque manuum impoſitionem jam dictam eſſe eſſentialem; nam ambæ utpote continuatæ poſſunt conſiderari per modum unius). Ex alia parte, inquiunt, videtur pertinere ad materiam eſſentialem etiam porrectio libri, cum Eugenius IV. dicat (b) *Diaconatum conferri per dationem libri Evangeliorum*, quod etiam probat eſſentialem formam huic materiæ correſpondentem: unde dicunt Eccleſiam pro poteſtate, quam habet determinandi in ſpecie materiam & formam Sacramentorum, etiam iſtam materiam & formam ut eſſentialem priori addidiſſe. Utraque igitur, concludunt, materia, & utraque forma Diaconatui eſſentiales ſunt.

Major etiam eſt diſſenſio circa materiam & formam Presbyteratus. Aliqui ſtatuunt tantum materiam remotam in patena cum hoſtia, & calice cum vino, proximam vero in porrectione & tactu utriuſque, & formam in verbis: *Accipe poteſtatem offerendi Sacrificium Deo, Miſſaſque celebrandi tam pro vivis, quam pro defunctis*. Sed hæc ſententia, quamvis pro ea parte, qua hæc admittuntur ut eſſentialia, ſit communior, pro

L 5 ea

(a) *In inſtruct. Armen.* (b) *ibidem*.

ea tamen parte, qua non admittit ut essentialem impositionem manuum, communius rejicitur; nam talem impositionem esse admittendam ut essentialem ostendit, quod antiquitus nemine dissentiente per illam conferebatur hic Ordo: quo posito aliqua etiam erit admittenda forma tali impositioni correspondens.

Sed hic nova exurgit difficultas; tres enim in ordinatione Presbyreri sunt manuum impositiones. Prima fit ab Episcopo, & deinde a Presbyteris assistentibus supra singulos ordinandos nihil dicendo: secunda fit ab iisdem tenentibus manus extensas supra ordinandos, & dicente Episcopo: *Oramus fratres carissimi &c:* tertia fit a solo Episcopo in fine Missæ, dum imponit supra singulos ordinatos manus, & dicit: *Accipite Spiritum S., quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueris, retenta sunt*. Porro communius a materia essentiali excluditur prima; nam hæc nullam habet sibi adnexam formam. Pro secunda stant plures, quia nec prima ex dictis est essentialis, nec tertia, quia jam supponitur præhabita ordinatio, cum hæc facta sit ante consecrationem, ut possint cum Episcopo ordinandi consecrare. Et isti consequenter dicunt formam huic impositioni respondentem esse illud: *Oramus fratres &c.* Pro tertia stant alii, qui distingunt collationem duplicis potestatis in ordinatione Presbyteri, unam circa corpus Christi verum consistentem in facultate consecrandi, alteram circa corpus Christi mysticum consistentem in facultate absolvendi; primam dicunt complete tradi per traditionem patenæ & calicis, & correspondentem formam: secundam per hanc manuum impositionem, & formam pariter correspondentem.

Sane tertia hæc manuum impositio Ordini, prout respicit potestatem consecrandi, communius non putatur essentialis ob rationem supra attactam, quia scilicet ante consecrationem Ordo quoad dictam potestatem est completus, &

cum

cum aliunde aliqua manuum impositio sit essentialis Presbiteratui, talis erit præcipue relate ad primariam potestatem, quæ est circa corpus Christi verum, qualis non est tertia, nam hæc ordinatione respiciente consecrationem corpori Christi est posterior. Unde etsi omittatur tertiam impositionem esse essentialem respectu potestatis absolvendi, debet tamen admitti ut essentialis respectu potestatis consecrandi alia impositio. Restat ergo prima & secunda. Qui formam correspondentem manuum impositioni statuunt in illis: *Oramus fratres carissimi &c.*, potius stant pro secunda, quam pro prima; hæc enim oratio funditur in secunda impositione. Ubi tamen noto non deesse, qui utramque admittunt putantes has duas impositiones se habere per modum unius. Hoc idem dici etiam potest in sententia aliorum, qui volunt talem formam esse verba, quæ profert Episcopus, dum porrigit patenam & calicem, ita ut eadem verba & connotent præsentem porrectionem instrumentorum, & manuum impositionem præteritam quidem, sed tamen moraliter cum illis connexam per continuatas actiones, & ad eundem finem relatas.

Dixi *etsi omittatur tertiam impositionem esse essentialem respectu potestatis absolvendi*: non enim desunt, qui id negent volentes hanc etiam potestatem conferri, cum confertur potestas consecrandi, unde dicunt tertiam illam impositionem cum verbis correspondentibus esse solum declarativam potestatis antecedenter habitæ, cui sententiæ favent observationes Morini testantis hanc impositionem & verba correspondentia fuisse 1600. annis incognita in Ecclesia etiam Latina, ut constat ex omnibus antiquis Ritualibus ab ipso perlustratis.

Materia Episcopatus statui solet impositio manus Episcopi consecrantis, & imposito libri Evangeliorum super cervicem ordinandi: forma vero verba tunc a consecrante prolata: *Accipe Spiritum S. &c.*, vel etiam oratio immediate sequens.

L 6 Ra-

Rationes pro impositione manuum sunt, quæ supra adductæ fuerunt relate ad ordinationem Diaconi & Presbyteri, quæ hic valent a fortiori. Pro impositione vero libri Evangeliorum solet adduci, quod hæc semper adhibita sit ab Ecclesia Græca & Latina, & quod habent mysticam significationem (significat enim Episcopum ferre debere pondus Evangelicæ prædicationis), unde videtur æquivalere traditioni instrumentorum in Presbyteratu, adeoque ad essentiam pertinere. Cum porro hæc fiunt, dicuntur verba: *Accipe Spiritum S. &c.*, quæ optime stare possunt pro forma. Ergo &c. Alia cæremonia, quæ postea fit, dum Episcopus consecrans tradit tangendum consecrato librum Evangeliorum dicens: *Accipe Evangelium, & vade &c.*, ad ritum accidentalem solet referri, quia hæc nunquam in antiquis Ritualibus teste Morino invenitur.

Non est hoc loco prætereunda sententia quædam media proposita a P. Berti, qua ut ipsi videtur, omnia circa materias & formas singulorum Ordinum optime conciliantur. Statuit itaque vir doctissimus (a) porrectionem instrumentorum æquivalere impositioni manuum, cum hæc instrumenta per manus ordinantis porrigantur: quod probat tum auctoritate S. Bonaventuræ scribentis *in primitiva Ecclesia plures ordines implicite datos fuisse in impositione manuum, quoniam manus est organum organorum*, tum auctoritate Benedicti XIV. statuentis (b) *per Subdiaconatum Græco ritu collatum censeri etiam receptos Ordines Accolytathus & Ostiariatus*, cum tamen Græci in Subdiaconatu instrumenta non porrigant ordinando. Unde evincit P. Berti substantialem materiam in ordinibus Hierarchicis (Diaconatu scilicet, Presbyteratu, & Episcopatu) esse revera ma-

(a) *Lib. 36. de Theol. discipl. cap.* 12.
(b) *Constitut. supr. ritib. Græcor.*

manuum impositionem, quam tamen Ecclesia pro Latinis ampliavit & extendit, ut fieret tali vel tali modo, idest per porrectionem instrumentorum, quod idem proportionaliter dicendum de materia aliorum Ordinum, & proportionaliter etiam de formis tam his, quam illis correspondentibus.

Hæc sententia, si subsistit, aliis omnibus expeditior esse videtur; tunc enim porrectio instrumentorum in omnibus Ordinibus recte potest statui materia essentialis, non quatenus est talis porrectio, sed quatenus includit manuum impositionem, & verba, quæ tunc proferuntur, statui possunt pro forma. Duo tantum mihi videntur opponi posse, primum quod talis porrectio difficile dici possit manuum impositio; secundum quod admissa hac sententia hujusmodi porrectio ut talis sit materia accidentalis, cum hæc pertineat non ad substantiam impositionis manuum, sed tantum ad modum illius, qui modus ipsi est accidentalis. Sed fortasse respondebit aliquis quoad primum talem porrectionem esse impositionem manuum si non physice & rigorose, saltem moraliter, quod in Sacramento sufficit, quoad secundum vero hoc facile concedi ab omnibus illis, qui dicunt Eugenium IV. in supradicta instructione (hæc autem est præcipuum fundamentum illorum, qui dicunt porrectionem istrumentorum esse essentialem) de materia tantum accidentali esse locutum. Hi autem plures sunt, & insignes Theologi.

His omnibus positis quid ipse sentiam, statim aperio. Sentio itaque I. ad materiam essentialem Ordinum saltem Hierarchicorum spectare aliquam manuum impositionem; hæc enim sola apud Græcos adhibetur, & antiquitus etiam sola adhibebatur in Ecclesia Latina. II. Si dicatur Eugenium IV. in instructione Armenorum porrectionem instrumentorum non assignasse tamquam materiam accidentalem, vel ad summum integralem, solam manuum impositionem sentio esse materiam essentialem Ordinum Hierarchicorum; tunc

enim

enim & nulla est ratio dicendi aliud essentialiter requiri, & melius conciliatur moderna praxis Ecclesiæ Latinæ cum praxi antiqua ejusdem Ecclesiæ, & praxi Ecclesiæ Græcæ. Quod si dicatur Eugenium assignasse porrectionem instrumentorum ut materiam essentialem, patet tunc non in sola manuum impositione hanc consistere, sed statui debere in tali porrectione, quo posito formæ illi correspondentes erunt verba, quæ profert Episcopus, dum hujusmodi instrumenta porrigit. III. Si in sola manuum impositione statuatur materia essentialis, videndum utrum porrectio instrumentorum facta ab Episcopo possit vere dici impositio manuum, aut illi æquipollere; si enim vere dici potest (quod mihi dubium est), in hac porrectione profecto consistet materia omnium Ordinum; nulla enim alia melius ipsa potest assignari, cum habeat adnexa verba, quæ passim pro formis omnium Ordinum assignantur, & præterea hoc admisso salvatur etiam minores conferri per impositionem manuum, quod sane eo non admisso non salvatur.

IV. si hæc porrectio instrumentorum non possit dici proprie manuum impositio, aliunde erit hæc manuum impositio repetenda. Cum autem nulla alia reperibilis sit saltem apud Latinos nisi in Ordinibus Hierarchicis, hinc in istis invenienda. Quo posito dico probabilius mihi esse impositionem manuum inservientem pro materia essentiali Diaconatus esse illam, quam facit Episcopus supra singulos ordinandos, formam vero illi correspondentem verba: *Accipe Spiritum S.*, cui manuum impositioni & formæ si quis vellet adjungere etiam aliam, quæ fit ab Episcopo respectu ordinum cum correspondente oratione, non repugnarem; nam hæ duæ impositiones & correspondentia verba sunt continuata cum prioribus, & possunt considerari ut complementa priorum, adeoque cum illis faciunt moraliter quid unum. Dico ulterius impositionem manuum inservientem pro materia essentiali Presbyteratui, saltem prout

ut hic respicit potestatem consecrandi, esse primam & secundam, quæ utpote continuatæ considerari possunt per modum unius, formam vero correspondentem esse orationem, quam Episcopus fundit, dum ipse & Sacerdotes assistentes tenent manus extensas super ordinandos: nisi dicere vellemus formam esse verba, quæ profert Episcopus, dum porrigit panem & vinum juxta sententiam aliquorum supra recensitam, quod tamen non tam facile admitterem. Dixi *primam & secundam manuum impositionem probabilius esse materiam essentialem Presbyteratus, prout respicit potestatem consecrandi*; tertia enim esse non potest ob rationem supra adductam. Hæc tamen probabilius essentialis est Presbyteratui, prout respicit potestatem absolvendi; licet enim antiquitus utraque potestas conferretur per unam & eandem manuum impositionem, cum tamen aliquo modo una sit ab altera separabilis (ut patet ex quo Christus, cum Apostolos ordinavit Sacerdotes in ultima cœna, non dedit illis saltem proxime potestatem absolvendi, sed illam solum dedit post resurrectionem, cum insufflando in illos & dicendo: *Accipite Spiritum S.* instituit Sacramentum Pœnitentiæ), potuit Ecclesia unam ab altera separare, sicque unam conferre per unam manuum impositionem, alteram per alteram, & ita probabilius fecisse suadet litteralis sensus illorum verborum: *Accipe Spiritum S.*. Quoad Episcopatum per se patet supradictam manuum impositionem esse materiam, formam autem verba, quæ tunc proferuntur.

Pro coronide dicendorum circa materias & formas Ordinum adverto in praxi apud nos servandum esse integrum ritum in Pontificali præscriptum, scilicet tam impositionis manuum, quam porrectionis instrumentorum; quidquid enim sit, utrum hæc omnia sint essentialia, cum tamen agatur de valore Sacramenti, juxta sententiam tutam est procedendum, sicque omnia hæc adhibenda. Adverto etiam quod, licet fortasse sufficiat

ciat in ordinatione tactus moralis instrumentorum, in praxi tamen est adhibendus tactus physicus ob eandem rationem, quæ supra.

ARTICULUS QUARTUS.

Ex dictis jam patet Episcopatum esse jure divino majorem simplici Presbyteratu, cum jure divino dicat aliquid amplius illo. Sed quoniam hoc & olim negatum fuit, & modo etiam negatur a Novatoribus, præstat circa illud aliquantisper immorari.

Noto itaque 4. Ecclesiæ sæculo Aerium quemdam ab Episcopatu, quem ambierat expulsum docere cœpisse Episcopos non esse superiores simplicibus Presbyteris, & si superiores, tales tantum esse ex humano instituto. Hunc errorem postea secuti sunt Valdenses, Wiclephus, & Calvinus, Blondellus, & Salmasius. Contra hos sit

Assertio. *Episcopi sunt jure divino superiores simplicibus Presbyteris.*

Prob. ex Scripturis & Patribus. Christus primo (*a*) instituit Apostolos, deinde 72. Discipulos. Diversam horum fuisse, ac illorum conditionem patet ex quo Apostolis peculiariter demandata sit cura Ecclesiæ, quod ipsi semper Christo adhæserint, quod semper principem locum in Ecclesia obtinuerint; secus vero alii Discipuli. Docent autem Patres Apostolis Episcopos, Discipulis simplices Presbyteros succedere. Ergo &c. Præterea Christus inquit: (*b*) *Fidelis servus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam*, quæ verba communiter a Patribus intelliguntur de Episcopis, qui idcirco dicuntur constituti super familiam Christi, adeoque etiam supra simplices Presbyteros: quo etiam spectat il-

(a) *Luc.* 9. & 10. (b) *Matt.* 24.

illud: (*a*) *Attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus S. poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*. Rurſus docet Apoſtolus Epiſcopum eſſe judicem ſimplicium Presbyterorum; ita enim Epiſcopum Timotheum alloquitur: (*b*) *Adverſus Presbyterum accuſationem noli accipere, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus*: docet ad Epiſcopum ſpeƈtare ordinationem Presbyterorum; nam ad Titum (qui & ipſe erat Epiſcopus) ait: (*c*) *Reliqui te Cretæ, ut ea, quæ deſunt, corrigas, & conſtituas per civitates Presbyteros*. Ergo &c.

Prob. ex Tridentino, quod inquit (*d*): *Si quis dixerit in Eccleſia Catholica non eſſe hierarchiam divina ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris, & Miniſtris, anathema ſit*: & infra (*e*): *Si quis dixerit Epiſcopos non eſſe Presbyteris ſuperiores, vel non habere poteſtatem ordinandi & confirmandi, vel eam, quam habent, illis eſſe cum Presbyteris communem ... anathema ſit*. Ergo &c.

Prob. ratione. Epiſcopi poſſunt ordinare ſimplices Presbyteros, quod iſti (ſaltem ſine ſpecialiſſima delegatione juxta inferius dicenda) non poſſunt: ſunt ordinarii Miniſtri Confirmationis, quales non ſunt ſimplices Presbyteri. Major eſt ergo poteſtas Epiſcopalis quoad Ordinem, quam Presbyteralis, adeoque de jure divino, cum ſuperioritas quoad Ordinem non poſſit niſi in jure divino fundari. Rurſus majores ſunt Epiſcopi ſimplicibus Presbyteris juriſdiƈtione, quam ipſam eſſe ex jure divino conſtat ex quo dicuntur ſuper populum Chriſtianum a Deo conſtituti. Ergo &c.

Obj. ex Scripturis. Hæ indicant eosdem fuiſſe antiquitus Epiſcopos cum Presbyteris; nam Apoſtolus (*f*) ita incipit epiſtolam ad Philippenſes: *Pau-*

(a) *Aƈt.* 20. (b) 1. *Timot.* 5.
(c) *ad Tit.* 1. (d) *Seſſ.* 23 *Can.* 6.
(e) *Can.* 7. (f) *Philip.* 1.

Paulus & Timotheus servus Jesu Christi omnibus Sanctis, qui sunt Philippis cum Episcopis & Diaconibus, quo loco ne dicamus omissos fuisse Presbyteros, dicendum hos eosdem esse ac Episcopos. Præterea ubi Apostolus jubet Tito (a), ut ordinet Presbyteros, ostendit eundem esse Presbyterum ac Episcopum; nam allaturus dotes illorum, qui erant ordinandi, subdit: *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse*. Ergo &c.

℟. cum Chrysostomo in primitiva Ecclesia, quamvis essent diversæ dignitates Episcoporum & Presbyterorum, aliquando tamen hæc nomina sumpta fuisse promiscue, licet etiam aliquando fuerit utrumque sumptum in significatione propria & peculiari: quo posito in utroque objecto loco possumus per Episcopos intelligere simplices Presbyteros, & en soluta difficultas. Sane aliquando in peculiari, aliquando in communi significatione fuisse hæc nomina adhibita probari potest a pari; nam & hoc nomen *Apostolus* aliquando sumptum est in peculiari significatione, cum scilicet tribuitur 12. illis jam notis, aliquando etiam in significatione lata, ut cum dicitur Apostolus Christus (b), & cum (c) dicuntur Apostoli Andronicus, & Junias, & Epaphroditus. Nomen ipsum Episcopi in lata aliquando significatione accipi constat ex quo aliquando (d) dicitur Episcopus Christus. Ergo a pari &c. Tractu tamen temporis usus invaluit, ut nomen Episcopi nonnisi summis Sacerdotibus tribueretur reservato nomine Presbyteri inferioribus.

Obj. ex Patribus. I. Chrysostomus (e) quærens, quare Apostolus nominatis Episcopis statim ad Diaconos transierit, respondet: *Quia inter Episcopum & Presbyterum interest fere nihil*, & ad-

(a) *Tit.* 1. (b) *Heb.* 3.
(c) *Rom.* 16. *& Philip.* 2. (d) 1. *Pet.* 2.
(e) *Homil.* 11. *in* 1. *ad Timot.*

addit rationem: *Quippe & Presbyteris cura commiſſa eſt, & quæ de Epiſcopis dixit, etiam Presbyteris congruunt.*

II. S. Hieronymus redarguens (*a*) Diaconum, qui ſe Presbyteris æquabat, inquit: *Cum Apoſtolus perſpicue doceat eosdem eſſe Presbyteros, quos Epiſcopos, quis patiatur, menſarum & viduarum Miniſter ut ſupra eos ſe tumidus efferat, ad quorum preces Chriſti corpus ſanguisque conficitur?* & poſtea productis multis Scripturæ locis ad probandam Epiſcoporum & Presbyterorum æqualitatem ſubdit: *Quod autem poſtea unus electus eſt, qui cæteris præponeretur, in ſchiſmatis remedium factum eſt . . . quid enim facit excepta Ordinatione Epiſcopus, quod Presbyter non faciat?* rurſus (*b*): *Hæc propterea, ut oſtenderemus apud veteres eosdem fuiſſe Presbyteros, quos & Epiſcopos: paulatim vero, ut diſſenſionum plantaria evellerentur, ad unum omnem ſollicitudinem eſſe delatam. Sicut ergo Presbyteri ſciunt ſe ex Eccleſiæ conſuetudine ei, qui ſibi præpoſitus fuerit, eſſe ſubjectos, ita Epiſcopi noverint ſe magis conſuetudine, quam diſpoſitionis dominicæ veritate Presbyteris eſſe majores, & in commune debere Eccleſiam regere.* Ergo &c.

Ad I. ℟. Chryſoſtomum ſolum velle, quod fere omnia, quæ poteſt Epiſcopus, poſſit & Presbyter, quod & nos concedimus agnoſcentes in Presbyteris facultatem extraordinariam confirmandi, & benedictiones perficiendi, quæ ordinarie ſolis Epiſcopis conveniunt. Eſt tamen aliquid, quod etiam per Chryſoſtomum poteſt ſolus Epiſcopus. Talis eſt ordinatio ſaltem aliorum Epiſcoporum, unde immediate ſubdit: *Sola quippe ordinatione ſuperiores illi ſunt, atque hoc tantum, plusquam Presbyteri, habere videntur.* Ergo &c.

Ad

(a) *Ep.* 106. *al.* 85. *ad Evangel.*
(b) *in cap.* 1. *Epiſt. ad Titum v.* 5.

Ad II. ℞. Hieronymum ibi totum esse in extollenda Presbyterorum dignitate, & hoc, ut retunderet errorem aliquorum extollentium Diaconos supra Presbyteros. Ad horum ergo dignitatem extollendam primo dicit eodem nomine sæpe in Scripturis vocari Episcopos & Presbyteros: rursus consuetum antiquitus fuisse, ut in communi Episcopus & Presbyteri gubernarent Ecclesiam non quidem ex æquali jure; sed quatenus Episcopi etiam Presbyteros admittebant ut socios ad tale gubernium, *imitantes*, sunt verba S. Doctoris (a), *Moysen, qui, cum haberet in potestate solus præesse populo Israel, septuaginta elegit, cum quibus populum judicaret*. Quam consuetudinem dicit sublatam ad tollenda schismata; nam cum multitudo Presbyterorum sæpe in diversas sententias abiret, necesse fuit, ut Episcopi auctoritatem ad se omnem revocarent, & a gubernio illos excluderent. His positis dico S. Hieronymum eosdem facere Episcopos & Presbyteros vel solum quoad nomen, vel solum quoad gubernium Ecclesiæ juxta dicta; nam illos distinguere in potestate ordinandi constat ex illis: *Quid facit excepta ordinatione &c.?* Cum dicit Episcopum fuisse Presbyteris prælatum ob schisma, alludit ad facultatem, quam sibi Episcopi revocarunt gubernandi Ecclesiam. Cum dicit Episcopos esse majores Presbyteris ex jure non divino, sed humano, ideo dicit, quia non est præceptum divinum, sed solum humana consuetudo, quod excludantur Presbyteri a gubernanda Ecclesia cum Episcopo. Et sane Hieronymum esse pro nobis constat ex quo alibi (b) asserat Episcopos tenere locum Apostolorum, quod nunquam dicit de simplicibus Presbyteris: & ex quo velit se habere Episcopos ad Presbyteros, ut se habuit Aaron

(a) *Loco sup. add. in Epist. ad Tit.*
(b) *Ep.* 14. *ad Marcellam*.

ron ad suos filios; inquit enim (*a*): *Quod Aaron & filios ejus, hoc esse Episcopum & Presbyterum noverimus:* & alibi (*b*): *Quod Aaron & filii ejus, atque Levitæ in Templo fuerunt, hoc sibi Episcopi & Presbyteri, & Diaconi vindicent in Ecclesia*. Cum ergo Aaron jure divino esset superior propriis filiis (hi enim erant simplices Sacerdotes, hic Summus Pontifex), a pari &c.

CAPUT SECUNDUM.

De ministro, subjecto, & effectibus Sacramenti Ordinis.

DIvido caput juxta titulum. Sit ergo

ARTICULUS PRIMUS.

Minister ordinarius ex dictis est solus Episcopus. Minores tamen Ordines & Tonsuram possunt etiam conferre Abbates, dummodo Presbyteri, & ab Episcopo benedicti, & Cardinales non Episcopi. Posse etiam delegari Abbates, imo alios simplices Presbyteros ad conferendum Subdiaconatum conceditur communiter, dummodo id fiat a Papa. Imo plures Canonistæ a Morino laudati censent illos posse delegari etiam ad conferendum Diaconatum & Presbyteratum, quamvis talis sententia quoad Presbyteratum juxta S. Thomam subsistere nequeat, vel saltem nullum possit hujus delegationis afferri exemplum. Dixi *quoad Presbyteratum*; nam pro Diaconatu solet afferri privilegium ab Innocentio VIII concessum Abbatibus Cisterciensibus, ut ordinarent suos subdi-

(a) *Ep. 52. al. 2. ad Nepotian. n. 7.*
(b) *Ep. adducta ad Evang.*

ditos Diaconos, quod privilegium, licet multi reſpuant ut ſuppoſititium, affirmat tamen P. Berti ſe in duobus authenticis monumentis legiſſe, & Abbates Ciſtercienſes illo paſſim uti, imo uſos fuiſſe Romæ anno 1662. ſciente & conſentiente Alexandro VII. Quæ ſi ſubſiſtunt, dicendum poſſe etiam Diaconos ordinari a non Epiſcopo.

Certum tamen eſt apud omnes Epiſcopum nonniſi ab Epiſcopo ordinari valide poſſe: imo tres requiruntur Epiſcopi ad Epiſcopum ordinandum, qui tamen probabilius ſolum requiruntur ad licitam ordinationem, quia ex modo loquendi Pontificalis Romani apparet ab uno tantum miniſtrari Sacramentum, cum unus tantum dicatur *conſecrator:* rurſus quia exempla habentur hujus ordinationis ab uno factæ; nam S. Gregorius Magnus (*a*) ad interrogationem ipſi factam ab Auguſtino Anglorum Epiſcopo, utrum unus poſſet Epiſcopum ordinare, reſpondit: *Et quidem in Anglorum Eccleſia, in qua adhuc ſolus tu Epiſcopus inveniris, ordinare Epiſcopum non aliter, niſi ſine Epiſcopis potes*. (Ita enim legendum eſſe, & non ut legunt alii: *Ordinare Epiſcopum non aliter, niſi cum Epiſcopis potes*, conſtat ex adnotationibus ad hanc epiſtolam novæ editionis Pariſienſis). Ubi etiam additur, quod advenientibus aliis Epiſcopis illos debebat adhibere Auguſtinus, ut teſtes ordinationis Epiſcopalis. Et Fredericus Gavardi (*b*) narrat fuiſſe ab Innocentio XI. conceſſum Godefrido Duci Franciæ Orientalis, ut ab uno Epiſcopo cum aſſiſtentia duorum Abbatum Epiſcopus conſecraretur.

Ordinare valide poteſt quicumque Epiſcopus, ſed ut licite ordinet, requiritur, ut ordinandus ſit illius ſubditus ratione vel *originis*, vel *domici-*

ci-

(a) *Lib.* II. *ep.* 64. *al.* 31. *ad interrogat.* 8.
(b) *Apud Berti de Theol. diſcip. lib.* 36. *cap.* 13. §. 7.

cilii, vel *Beneficii*. Primus ex constitutione Innocentii XII. (*a*) est, qui naturaliter ortus est in Diœcesi talis Episcopi, dummodo tamen ibi natus non fuerit ex accidenti, quo casu attenditur vera patris origo. Ita vero accidentaliter natus, si ibi tamdiu steterit, ut potuerit contrahere canonicum impedimentum, debet etiam ab Episcopo hujus loci testimonium super natalibus, ætate, moribus, & vita obtinere, illudque Episcopo ordinanti exhibere. Quod si pater in alieno loco, ubi ei filius natus est, de jure domicilium contraxerit, tunc non origo patris, sed tale domicilium pro ordinatione est attendendum. Secundus relate ad suscipiendos Ordines est, qui licet alibi natus fuerit, domicilium tamen adeo stabiliter constituit in aliquo loco, ut vel per decennium saltem ibi habitando, vel majorem bonorum suorum partem cum instructis ædibus eo transferendo, ibique jugiter per notabile tempus commorando ostenderit se illum locum eligere pro domicilio perpetuo, hocque juret. Quod si e loco originis discessit ea ætate, ut potuerit contrahere impedimentum canonicum, supradictas litteras testimoniales etiam ab Ordinario originis debebit obtinere, atque Ordinario domicilii exhibere. Tertius relate ad ordinationem est, qui in aliqua Diœcesi Beneficium sufficiens ad congruam substentationem detractis oneribus pacifice possidet: quod si Clericus, qui ob Beneficium obtentum in aliená Diœcesi vult ordinari ab Episcopo talis Diœcesis, antea fuerit ad aliquos Ordines a proprio Episcopo promotus, debet obtinere litteras testimoniales ut supra ab Episcopo tam originis, quam domicilii.

Prohibetur Episcopo (*b*), ne familiarem suum alienæ Diœcesi ad Ordines, aut Tonsuram promo-

(a) *Incipien.* Speculatores.
(b) *Dict. Constitut.*

moveat, niſi per triennium eum habuerit in ſuo famulatu, & aluerit propriis expenſis, & Beneficium ad congruam ſubſtentationem ſufficiens illi contulerit, aut ſaltem collaturus ſit intra menſem a die ordinationis, & viſis prius teſtimonialibus proprii ejus, originis ſcilicet, ſeu domicilii Prælati.

Poteſt tamen Epiſcopus ordinare alienos ſubditos, ſi habeant litteras dimiſſoriales a proprio Epiſcopo; ut enim hic poteſt illos ordinare, ita poteſt alteri Epiſcopo committere Ordinandos, quod fit litteris dimiſſorialibus. Has poteſt dare Epiſcopus, Vicarius Generalis de expreſſa licentia Epiſcopi, Capitulum Cathedralis ſede vacante poſt annum ab obitu Epiſcopi, vel infra annum quoque, ſi quis eſſet in neceſſitate aſcendendi ad Ordines E. G. ob Beneficium: Generales, vel Provinciales Ordinum. Epiſcopus porro ſine debitis licentiis ordinans alienum ſubditum incurrit ſuſpenſionem per annum ab adminiſtratione Ordinum, & ordinatus ſuſpenſionem incurrit ab Ordine ſuſcepto.

ARTICULUS SECUNDUS.

Ad ſuſcipientem tranſeo. Conſtat ex ſenſu Eccleſiæ fœminas non poſſe valide ordinari. Si autem de viris loquamur, omnis ætas etiam infantilis idonea eſt Ordinibus, ut exemplum probat tum Euthymii Abbatis, qui, ut inquit Cyrillus Scytopolitanus (*a*), triennis ordinatus eſt Lector, tum Eugenii I. Papæ, qui, ut conſtat ex Pontificali, fuit Clericus ab incunabulis, tum ex Capitulo *Tuæ litteræ* (*b*), ubi ordinatus Sacerdos prætermiſſo Diaconatu jubetur hunc Ordinem ſuſcipere non tamen iteratis Ordinibus inferioribus, quos

(a) *In ejus vita*.
(b) *De Clerico per ſaltum promoto*.

quos ſuſceperat *infra' annos diſcretionis*. Sic autem ordinatus etiam Ordinibus ſacris non tenetur ad leges Clericorum, niſi ſponte conſentiat; non enim vult Eccleſia obligatione abſolute non neceſſaria invitum gravare. Ex quo patet, quare iſte non teneatur legibus Clericalibus, niſi poſtea ratihabeat ordinationem, teneatur autem legibus Chriſtianis etiam qui Baptiſmum in infantia ſuſceptum non ratihaberet factus adultus; nam non adeſt abſoluta obligatio ſubeundi onera Clericalia, ut adeſt ſubeundi onera legis Chriſtianæ.

Ad valide ſuſcipiendos Ordines certum eſt requiri Baptiſmum. Ad licite ſuſcipiendam Tonſuram requiritur ſeptennium (*a*), quod etiam requiritur & ſufficit ad minores. Pro Subdiaconatu requiruntur 22. anni (*b*), pro Diaconatu 23., pro Presbyteratu 25., qui anni ſufficit ſi ſint inchoati. Pro Epiſcopatu requiruntur triginta anni (*c*). Qui mala fide ad majores Ordines accederet ante ætatem requiſitam, & peccaret graviter, & ipſo facto ſuſpenderetur ab exercitio Ordinum ſuſceptorum (*d*), nec ante ætatem impletam abſolvi poſſet niſi prius obtenta a Summo Pontifice diſpenſatione. Quod ſi etiam mala fide in Ordine ſuſcepto miniſtraret, incurreret irregularitatem ex abuſu Sacri Ordinis ob cenſuram violatam. Qui vero ante completam ætatem bona fide acceſſit, debet abſtinere ab exercitio Ordinis ſuſcepti non ut ſuſpenſus, ſed præciſe ut irregularis ex defectu ætatis.

Requiritur præterea immunitas a cenſuris & irregularitate, probitas, ſciéntia, & titulus aliquis. Quoad immunitatem a cenſuris & irregula-

(a) *Ex cap.* Nullus de tempor. *ordin. in 6.*
(b) *Ex Trid. Seſs.* 23. *cap.* 12.
(c) *Ex cap.* Cum in cunctis de elect.
(d) *Ext. a.* Cum ſacrorum.

ritate nihil hic occurrit specialiter notandum. Quoad probitatem præter statum gratiæ exigitur ulterius testimonium vel Parochi, vel Superioris Regularis de vita & moribus. Quoad scientiam requiritur ex Tridentino (*a*) in Tonsurando, ut sciat rudimenta fidei, legere & scribere: in promovendis ad minores ut præterea sciant linguam latinam, & quæ spectant ad Ordines suscipiendos: (*b*) in promovendis ad Subdiaconatum & Diaconatum ut sint litteris, & iis, quæ ad Ordinem exercendum pertinent, instructi (*c*): in promovendis ad Presbyteratum ea requiritur scientia, quæ sufficiat, ut possint recte administrare Sacramenta, & populum docere necessaria ad salutem. Quoad titulum requiritur aut Beneficium Ecclesiasticum sufficiens ad substentationem, & quod legitime & pacifice possideatur, quo nomine potest etiam venire pensio, aut Cappellania perpetua: vel patrimonium, jus scilicet perpetuum percipiendi fructus sufficientes ad substentationem ex bonis sæcularibus, quod quidem jus & ipsum debet esse pacificum: & hi duo tituli sunt statuti a Tridentino (*d*), ne Clerici cum dedecore status Clericalis teneantur mendicare. Ubi noto nullum esse ordinandum titulo patrimonii vel pensionis, nisi id exigat necessitas vel commoditas Ecclesiæ. His autem titulis substituitur pro Religiosis titulus paupertatis, cujus Ecclesia, ideo fuit contenta, quia isti a propria Religione substentantur.

Debent etiam servari in ordinibus suscipiendis gradus statuti, ut scilicet non ascendatur ad Superiores nisi perceptis inferioribus, secus illicita erit ordinatio, & sic ordinatus incurrit suspen-

(a) *Sess.* 23 *cap.* 4.
(b) *Ibid. cap.* 11.
(c) *Ibid. cap.* 13.
(d) *Sess.* 21. *cap.* 3. *de Reform.*

ſponſionem (*a*). Debent etiam ſervari tempora pro ordinatione ſtatuta, quæ ſunt relate ad Epiſcopatum quælibet dies Dominica, & dies natalitiæ Apoſtolorum: reſpectu Ordinum majorum ſex ſabbatha, nimirum quatuor temporum, *ſitientes*, & ſabbathum ſanctum: reſpectu minimorum prædicta ſabbatha, vel veſperæ antecedentes, & quælibet dies feſtiva de præcepto, reſpectu vero Tonſuræ quælibet dies. Tandem ſervanda ſunt debita interſtitia inter unum & alterum Ordinem, quæ ſunt unus annus ab ultimo minore ad Subdiaconatum, a Subdiaconatu ad Diaconatum, & a Diaconatu ad Presbyteratum. Poſſunt tamen Epiſcopi diſpenſare (*b*) in interſtitiis juxta ipſorum prudentiam. Ubi etiam noto annum interſtitii computari juxta ritum eccleſiaſticum, quo fit, ut ſit vel brevior, vel longior anno naturali pro varietate feſtorum mobilium. Noto etiam modo dicta non valere niſi pro ſæcularibus, de Regularibus enim attentis illorum privilegiis aliter eſt loquendum.

ARTICULUS TERTIUS.

Effectus Ordinum ſunt primo gratia ſanctificans & character, de quibus alibi: ſecundo gratiæ Sacramentales, quæ conſiſtunt in jure ad auxilia tempore opportuno habenda, ut poſſit ordinatus digne in Ordinibus miniſtrare. Ad effectus Ordinum poſſunt etiam revocari tum favores, tum obligationes ex Ordine provenientes. Favores ſunt præcipue duo nota privilegia fori & canonis, quorum primum importat exemptionem a foro laicali, ſecundum importat, ut non poſſit

M 2 quis

(a) *Cap.* Tua littera. *de Clerico per ſaltum ordinato.*

(b) *Trid. Seſſ.* 23. *cap.* 11. 13. & 14.

quis culpabiliter violentas manus injicere in Clericum, quin incurrat excommunicationem Papæ reservatam, & hoc dicitur privilegium canonis, quia continetur in canone: *Si quis suadente Diabolo &c.* Obligationes autem sunt incedendi in habitu & tonsura, & quidem respectu ordinatorum in sacris, & beneficiatorum sub gravi, & relate ad eosdem recitatio divini Officii, & relate ad constitutos in sacris cœlibatus. Quo loco noto legem cœlibatus esse solum ecclesiasticam, & antiquitus non semper viguisse, saltem ut viget modo, cum aliquando possent Clerici uxores ante ordinationem acceptas retinere, licet nunquam potuerint illas accipere post ordinationem. Censent Doctores communius obligationem castitatis oriri ex voto vel explicito, vel saltem implicito. & contento in ipsa Ordinum susceptione, quod ex præcepto Ecclesiæ debet emittere ordinatus. Alii tamen volunt obligationem hanc ex voto non oriri, sed immediate ex præcepto Ecclesiastico. Aliæ etiam sunt obligationes Clericorum, ut abstinere a venatione, a negotiatione, a ludis &c. quas dimitto videndas apud Auctores.

DISSERTATIO VII.

De Sacramento Matrimonii.

DIssertationem hanc in tria capita divido. In 1. exponam naturam Matrimonii: in 2. agam de Sponsalibus: in 3. de impedimentis Matrimonii.

CAPUT PRIMUM.

Exponitur natura Matrimonii.

CUM Matrimonium possit spectari, ut præcise est contractus, & ut etiam est Sacramentum, de Matrimonio primo modo spectato 1. agam: postea ad Matrimonium spectatum, ut est Sacramentum, descendens 2. loco illi vindicabo rationem Sacramenti: 3. examinabo illius qua talis essentiam, ministrum, & effectus: 4 agam de consensu contrahentium ad illud requisito: 5. de bonis illius substantialibus.

ARTICULUS PRIMUS.

Matrimonium spectatum, ut est contractus, potest considerari & in fieri, & in facto esse. Si primum, est pactum inter virum & fœminam, quo traditur & acceptatur mutua potestas in corpora relate ad generationem prolis. Si secundum, est vinculum ortum ex tali pacto. Ex quo patet Matrimonium in fieri esse causam Matrimonii in facto esse. In vinculo autem potius, quam in actuali pacto consistit essentia Matrimonii, ut status Religiosus potius consistit in vinculo orto ex emissione votorum, quam in ipso actu vovendi; unde divinitus posset dari Matrimonium sine actuali consensu contrahentium, si nempe Deus viro daret jus in corpus fœminæ, & è contra sine actuali illorum consensu.

Sic dictum est Matrimonium, vel quia imponit fœminæ munus, ut mater fiat (quo sensu posset etiam dici *patrimonium*, sed denominatio potius desumitur a matre, quia filius est (a) matri

(a) *Cap.* ex litteris *de conver. Inf.*

tri peculiari modo *ante partum onerosus*, *doloroſus in partu*, *post partum laborioſus*,) vel quia matrem veluti munit ac firmat per virum, quem illi adjungit. Dicitur etiam *nuptiæ* & *connubium* a nubendo vel velando, quia mulier antiquitus velo quasi nube operiebatur, dum benedictionem matrimonialem percipiebat. Dicitur tandem *conjugium* quasi alligatio duorum ad commune jugum.

Matrimonium ut rem illicitam traduxerunt Simoniani, Nicolaitæ, Saturniani, Encratitæ, aliique, de quibus Apostolus (*a*) jam prædixerat *futuros aliquando Hæreticos prohibentes nubere*. Sed contra stant Scripturæ, Patres, & ratio.

Primo enim ex Scriptura constat fuisse Matrimonium insinuatum Adamo a natura, dum hic videns Evam ex se formatam inquit: (*b*) *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: hæc vocabitur Virago, quoniam de viro sumpta est. Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una*. Imo Deus illud insinuaverat, dum Evam creaturus inquit: (*c*) *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adjutorium simile sibi*. Hac autem creata expressius Deus contractum hunc firmavit, dum inquit: (*d*) *Crescite* & *multiplicamini*, quod etiam indicavit Christus dicendo: (*e*) *Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum & fœminam fecit eos, & dixit: propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una?... Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet*: & Apostolus hæc ad rem nostram habet: *Uxori* (*f*) *vir debitum reddat, similiter autem & uxor viro... His autem, qui Matrimonio juncti*

(a) 1. *Timot.* 4. (b) *Gen.* 2.
(c) *Ibid.* (d) *Cap.* 1.
(e) *Matt.* 19. (f) 1. *Cor.* 7.

Ei ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, uxorem a viro non diſcedere ... Alligatus es uxori? noli quærere ſolutionem. Si autem acceperis uxorem, non peccaſti ... Igitur & qui Matrimonio jungit virginem ſuam, bene facit.

Inter Patres Tertullianus objicientibus, quod aliqui conjuges intemperantes ſint, ita reſpondit: (a) *Non ideo autem & cibi damnabuntur, quia operoſius exquiſiti in gulam committunt, ut nec veſtitus ideo accuſabuntur, quia pratioſius comparati in ambitionem tumeſcunt. Sic nec Matrimonii res ideo diſpuentur, quia intemperantius diffuſæ in luxuriam inardeſcunt:* & S. Auguſtinus ait: (b) *In nuptiis nuptialia bona diligantur, proles, fides, Sacramentum: ſed proles, non ut naſcatur tantum, verum etiam ut renaſcatur; naſcitur namque ad pœnam, niſi renaſcatur ad vitam.*

Accedit ratio; nam Matrimonium eſt ordinatum ad productionem & educationem prolis; eſt enim primo ordinatum ad carnalem congreſſum, ex quo prolis generatio. Cum autem in humana prole id non eveniat, quod evenit in brutis, quæ poſtquam adoleverint, non amplius indigent parentibus, ſed homines jugiter indigeant educatione, qua a malo arceantur, & ad bonum informentur, neceſſe eſt, ut jugiter adhæreant parentibus. Unus autem ex his ſine altero vix officium educationis implere poteſt, cum vir laboribus ut plurimum, negotiis, aliiſque ſimilibus ad familiæ ſubſtentationem incumbere debeat, uxor autem domeſticis curis ſit implicata. Neceſſe eſt ergo, ut uterque parens concurrat, & ambo inter ſeſe laborem dividendo eo dilectionis affectu, quem indidit natura, prolis educationi incumbant, qui ad ejuſdem mores informandos a-

 ptiſ-

(a) *Lib. 4. contr. Marcion. cap. 29,*
(b) *Lib. 1. de Nupt. & Conc. cap. 17.*

priſſimus eſt. Requiritur ergo, ut ſimul convivant. Ergo &c.

Matrimonium, quod usque adhuc probavi licitum, eſt *Monogamia*, ideſt Matrimonium inter unum & unam. At quid dicendum de *Polygamia*, ideſt de Matrimonio unius cum pluribus?

Diſtingui hic debet Polygamia *ſucceſſiva* a *ſimultanea*. Prima habetur, cum unus conjux mortuo altero novum ſibi conjugem ſociat: ſecunda cum unus plures ſimul conjuges habet.

Primam damnarunt Montaniſtæ & Novatiani, ſed Eccleſia nunquam agnovit ut abſolute malam; Apoſtolus enim ait: (a) *Dico autem non nuptis & viduis: bonum eſt illis, ſi ſic permaneant, ſicut & ego. Quod ſi non ſe continent, nubant; melius eſt enim nubere, quam uri... Mulier alligata eſt legi, quanto tempore vir ejus vivit: quod ſi dormierit vir ejus, liberata eſt, cui vult, nubat tantum in Domino: beatior autem erit, ſi ſic permanſerit ſecundum meum conſilium &c.* Fatendum tamen Eccleſiam antiquitus dure egiſſe cum tranſeuntibus ad ſecundas nuptias; nam a Concilio Neocæſareenſi, & a S. Baſilio illis fuit impoſita pœnitentia. Præterea hi ſemper habiti ſunt ut irregulares, & ideo Apoſtolus ait: (b) *Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, unius uxoris virum &c.* Rurſus benedictione ſacerdotali non aliæ, quam primæ nuptiæ donabantur. Sed non ideo ita ſe geſſit Eccleſia, quaſi ſecundas nuptias reprobaret, ſed quia illas agnovit minus perfectas tum ob defectum ſignificationis, quia ſcilicet per eas non ſignificatur conjunctio Chriſti cum Eccleſia unica ejus ſponſa, tum quia ex iis præſumitur intemperantia in eo, qui ſecundo nubit.

Quoad ſecundam dico prohibitum ſane eſſe & quidem de jure naturæ primario, quod una fœmi-

---

(a) 1. *Cor.* 7. (b) 1. *Timot.* 3.

mina plures habeat maritos; nam hoc est contra finem primarium Matrimonii, qui est procreatio prolis, cum plures viri respectu ejusdem fœminæ sæpissime impediant generationem, ut constat exemplo scortorum. At hoc non est ita certum, si loquamur de pluribus fœminis respectu ejusdem viri; nam hoc non impedit prolis generationem, unde ex hoc capite non videtur hæc Polygamia illicita.

Calvinus vult hanc Polygamiam ita esse jure naturali & divino prohibitam, ut omnem excludat dispensationem, & hinc antiquos Patriarchas, qui plures habuerunt uxores, accusat. Lutherus e contra vult illam nec juri naturali, nec lege evangelica esse prohibitam, imo data urgenti causa eam posse permitti, & de facto ipse permisit Landgravio Hassie (*a*). Eodem modo erraverat Valentinianus Imperator, qui ex Socratè (*b*) Christianis concesserat pluralitatem uxorum. E catholicis aliqui putant illam non esse prohibitam nisi ex jure divino positivo, consequenter volunt illam juri naturali non redugnare. Ita Durandus, Abulensis, & Maldonatus. S. tamen Thomas, & alii communius putant ipsam nedum jure divino prohiberi, sed etiam naturali non quidem primario, quod nullam admittit dispensationem, ut est jus prohibens blasphemiam, sed secundario, quod divinam admittit dispensationem saltem indirectam, & late talem consistentem in hoc, quod Deus possit mutare circumstantias, quibus mutatis cesset malitia actionis, ut alibi dixi posse dispensare in furto, homicidio &c.

Hæc sententia posterior videtur probabilior; nam primo Polygamiam esse jure divino prohibi-

M 5 tam

(a) *Bossuet. Hist. variat. lib. 6.*
(b) *Lib. 4. Inst. cap. 27.*

tam colligitur ex quo Deus Adamo dedit uxorem, ut essent duo in carne una. Rursus ipsam esse quoque jure naturali prohibitam suadetur ex quo, licet non adversetur fini primario Matrimonii, adversatur tamen finibus secundariis, cum plures uxores facile inducant discordiam, qua posita actum est de pace inter conjuges, quæ tamen est unum ex secundariis bonis Matrimonii: & insuper periclitatur recta educatio filiorum, quæ difficile inter discordias obtinetur. Ergo &c.

Cum autem non ita adversetur hæc Polygamia juri naturali, ut ex mutatione aliquarum circumstantiarum non possit cohonestari, hinc Deus dispensare in illa potest, & de facto antiquitus dispensavit. Communiter docent Theologi Deum non dispensasse ante diluvium, unde etsi legatur Lamech habuisse duas uxores, ob id tamen graviter reprehenditur. Post diluvium autem dispensavit cum antiquis Patriarchis, imo cum toto populo Judaico, cujus quidem dispensationis indicium est, quod Deus ait: (*a*) *Si habuerit homo duas uxores, unam dilectam, & alteram odiosam, genueritque ex ea liberos, & fuerit filius odiosæ primogenitus, volueritque substantiam dividere inter filios, non poterit filium dilectæ facere primogenitum, & præferre filio odiosæ;* hic enim supponitur Polygamia ut res usitata apud Hæbreos, qui tamen nec hic, nec alibi propterea reprehenduntur. Imo hanc dispensationem etiam pro gentilibus viguisse colligitur ex quo narretur (*b*) Abimelechum Gentilem, qui cæteroquin exhibetur naturaliter bonus, voluisse sibi in Matrimonium conjungere Saram, cum tamen esset uxoratus. Hujus autem dispensationis ratio fuit, ut citius post diluvium repararetur genus humanum. Sed illam pro omnibus abrogavit Christus, dum

(a) *Deut.* 20. (b) *Gen.* 20.

dum Matrimonium reducturus ad primævam rationem inquit: (*a*) *Erunt duo in carne una*.

Ad Matrimonium consideratum, ut est præcise constractus unius cum una, ante diluvium omnes & singuli homines obligabantur, idque tum ex jure divino per illud: (*b*) *Crescite & multiplicamini*, tum ex jure naturali; nam naturá tunc dictabat debere homines Matrimonio vacare, ut conservaretur & multiplicaretur genus humanum. Aliquo etiam tempore post diluvium ex eadem ratione homines eodem modo ad illud obligati fuerunt. At multiplicatis jam hominibus perseveravit quidem obligatio Matrimonii quoad omnes homines, ita ut Respublica debeat subditos ad id compellere, sed (saltem per se) non quoad singulos, alioquin Christus & Apostolus non commendassent virginitatem, ut prior commendavit, dum ait: (*c*) *Sunt Eunuchi, qui seipsos castraverunt propter Regnum Cœlorum*: alter vero, dum inquit: (*d*) *Qui Matrimonio jungit Virginem suam, bene facit, & qui non jungit, melius facit*. Dixi non singulos homines *saltem per se* nunc obligari ad Matrimonium; fieri enim potest, ut per accidens obligetur aliquis in particulari, ut si ageretur de magno Principe, quo non relinquente filium hæredem magna essent oritura bella: vel, ut docet S. Thomas, si homines ad tam exiguum numerum redigerentur, ut timeri posset, ne tota humana species periret.

ARTICULUS SECUNDUS.

Nunc de Matrimonio, ut est Sacramentum. Ita ipsum definiri potest: *Sacramentum, quo vir & mulier dant sibi mutua jus in corpora relate*

(a) *Matt.* 19. (b) *Gen.* 1.
(c) *Matt.* 19. (d) 1. *Cor.* 7.

ad generandam prolem, & sibi mutuo perpetuam societatem promittunt.

Veram rationem Sacramenti Matrimonio negarunt Joannes Huss, Lutherus, & Calvinus. Ante expressam etiam definitionem Ecclesiæ aliqui antiqui de hoc dubitarunt. Sed modo est certum illud (subintellige respectu baptizatorum) esse verum Sacramentum. Ut hoc probetur, sit

Assertio. *Matrimonium est verum novæ legis Sacramentum.* Est de fide.

Prob. ab aliquibus ex Scriptura, ubi Apostolus illud expresse appellat Sacramentum, ut cum dicit: (a) *Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam.... propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam, & adherebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* Sed quoniam multi graves Theologi putant argumentum hoc non esse invictum, ideo ne litigiosis probationibus utar, assertionem probabo ex definitionibus Ecclesiæ, & traditione Patrum.

Prob. ergo assertio ex definitionibus Ecclesiæ. Lucius III. ait: (b) *Qui de Sacramento corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi, vel de Baptismate, seu de peccatorum Confessione, Matrimonio, vel reliquis Ecclesiasticis Sacramentis aliter sentire, aut docere non metuerint, quam Sacrosancta Romana Ecclesia prædicat & observat... vinculo perpetui anathematis innodamus:* & Martinus V. in Constantiensi jubet suspectos in fide interrogari, *an credant, quod Christianus contemnens susceptionem Sacramentorum Confirmationis, vel Extremæ Unctionis, vel solemnizationis Matrimonii peccet mortaliter.* In Florentino

(a) *Ephes.* 5.
(b) *Cap.* Ad abolendum *de Hæreticis.*

tino (*a*) expresse Matrimonium dicitur *unum ex septem Sacramentis:* & Tridentinum inquit*:* (*b*) *Si quis dixerit Matrimonium non esse vere & proprie unum ex septem legis Evangelicæ Sacramentis a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre, anathema sit.*

Prob. ex traditione Patrum. Hi consensum & benedictionem Ecclesiæ in Matrimonio requisierunt. Ita Tertullianus, qui inquit: (*c*) *Unde sufficiamus ad enarrandam felicitatem ejus Matrimonii, quod Ecclesia conciliat, & confirmat oblatio, & obsignat benedictio, Angeli renunciant, Pater ratum habet?* Hujus autem rei nulla apparet ratio, nisi quod Matrimonium agnitum sit ut Sacramentum. Præterea Sacramentum illud passim appellant Patres, quorum unum omissis aliis afferam Augustinum dicentem: (*d*) *Bonum nuptiarum per omnes gentes atque homines in causa generandi est, & in fide castitatis. Quod autem ad populum Dei pertinet etiam in sanctitate Sacramenti, per quam nefas est etiam repudio descendentem alteri nubere, dum vir ejus vivit:* & alibi*:* (*e*) *Hoc* nuptiarum bonum, inquit, *verum tripartitum est, fides, proles, Sacramentum. In fide attenditur, ut præter vinculum conjugale cum altera, vel cum altero non concumbatur: in prole ut amanter suscipiatur, benigne nutriatur, religiose educetur: in Sacramento, ut conjugium non separetur.* Ergo &c.

Obj. ex Romanis Pontificibus. Innocentius III. docet Sacramentum Matrimonii recipit etiam ante

(a) *In decret. Eugen. pro union. Armen.*
(b) *Sess. 24. can. 1.*
(c) *Lib. 2. ad uxor. cap. 9.*
(d) *De bon. conjug. cap. 24.*
(e) *Lib. 9. de Gen. ad litt. cap. 7.*

ante Baptismum. Ergo illud non agnoscit ut Sacramentum rigorose tale, quale ante Baptismum recipi nequit.

℟. Innocentium sumere Sacramentum in lata significatione, pro eo scilicet, quod utcumque denotat rem sacram, quæ significatio utcumque convenit Matrimoniis non baptizatorum, cum & hæc aliquo modo denotent conjunctionem Christi cum Ecclesia. Ergo &c.

Obj. ex ratione. I. verum Sacramentum debet esse institutum a Christo. Tale non est Matrimonium; nam erat etiam ante Christum. Ergo &c.

II. Verum Sacramentum nequit pugnare cum alio Sacramento, & cum actu virtutis. Pugnat autem Matrimonium cum Ordine, & cum virginitate. Ergo &c.

III. Si Matrimonium esset Sacramentum, contrahere illud pacto pretio (ut contrahitur Matrimonium cum pacto dotis solvendæ) esset simoniacum, ut est accipere pretium pro aliis Sacramentis. Hoc non. Ergo &c.

Ad I. ℟. ante Christum fuisse quidem Matrimonium, sed solum ut contractum: hunc autem contractum elevavit Christus ad rationem Sacramenti dando ipsi practicam significationem gratiæ. Ergo &c.

Ad II. ℟. Ordinem & Matrimonium pugnare inter se solum ut magis perfectum cum minus perfecto, quæ duo aliquando sunt quidem incompossibilia, sed non ita ut alterutrum amittat rationem perfecti.

Ad III. ℟. pretium, quod accipitur in Matrimonio, non accipi pro ipso, ut Sacramentum est, sed solum ut est contractus civilis, & ad sustinenda onera Matrimonii. Posse autem aliquid accipi pro re sacra, si non accipiatur pro ipsa ut sacra est, sed juxta alium respectum, patet hoc exemplo. Si habeam calicem aureum consecratum, possum illum vendere, & consequenter pro ipso reportare pecuniam, non quidem ratione consecrationis, sed ratione materiæ. Ergo a pari &c.

ARTICULUS TERTIUS.

Statuto jam, quod Matrimonium sit Sacramentum, præstat examinare quænam sint illius qua talis essentia, minister, & effectus.

Dixi supra, quod formaliter constituit Matrimonium, esse potius vinculum, quam actualem consensum. Huic tamen potius, quam illi convenit ratio Sacramenti, alias, cum vinculum sit quid permanens, hoc Sacramentum esset permanens, quod nemo dixerit.

Unum numero est Sacramentum Matrimonii respectu fidelium licet a duobus contractum; nam duo consensus conjugum concurrunt veluti partes ad integrandum unum Sacramentum, ut concurrunt ad integrandum unum contractum: unde inferunt nonnulli, quod si baptizatus ex dispensatione contraheret Matrimonium cum non baptizata, tunc, cum istud non esset Sacramentum ex parte non baptizati, nec esset ex parte baptizati; non enim potest ex una parte claudicare in ratione Sacramenti, ut non potest ex una parte claudicare in ratione contractus. Sed alii contradicunt; nam ex quo matrimonium in duobus sit unum Sacramentum non sequitur rationem Sacramenti non posse esse in uno, quin sit in altero: quomodo ex quo consecratio panis & vini in Eucharistia sit unum Sacramentum, non sequitur, quod nequeat esse valida consecratio in pane, adeoque validum Sacramentum ex hac parte, quin sit valida consecratio in vino, adeoque validum Sacramentum ex altera.

Docent plures ita Christum conjunxisse rationem Sacramenti cum ratione contractus in Matrimonio fidelium, ut hoc nequeat esse validum in ratione contractus, quin sit etiam validum in ratione Sacramenti; nam, inquiunt, hoc importatur ex quo Christus elevaverit contractum Matrimonialem ad rationem Sacramenti. Qui ergo vult unum, censetur & velle alterum, ut e contra

tra si quis absolute nollet unum, consequenter in actu exercito nec vellet alterum. Sed alii contradicunt dicentes gratis asseri hanc inseparabilitatem contractus a Sacramento; quod enim Christus elevaverit contractum matrimonialem ad rationem Sacramenti, importat quidem, quod possit esse Sacramentalis, si ut talis intentus sit, sed non quod una ratio non possit ab alia sejungi, præcipue cum juxta priorem sententiam Christus mutasset naturam contractus, de ratione cujus est, ut sit validum posito consensu contrahentium in illum, etsi positive excludatur ratio Sacramenti. Res sane est incerta.

Est etiam verum Sacramentum Matrimonium contractum per Procuratorem, saltem si contrahentes in illud consentiant ut Sacramentum; nam cum hoc sit validum in ratione contractus, debet etiam in hac hypothesi esse validum in ratione Sacramenti.

Probabilius Matrimonium Infidelium, cum convertuntur, & baptizantur, fit Sacramentum saltem, si tunc illud ratificent; tunc enim habetur verus contractus matrimonialis, qui inter baptizatos est Sacramentum, & aliter isti conjuges perpetuo privarentur gratia Sacramenti Matrimonii, cum tamen illius onera subirent. Quamvis autem velint aliqui esse in casu renovandum consensum coram Parocho & testibus, alii tamen probabilius negant; nam, inquiunt, lex Tridentini de præsentia Parochi & testium loquitur de Matrimonio primo contrahendo, non de renovando & confirmando.

Docuit Julianus Pelagianus, & postea Wiclephus ad essentiam Matrimonii spectare copulam conjugalem. Sed contra est, quod Matrimonium ex dictis consistit in contractu, quo datur jus ad copulam, & qui sine illa potest haberi, ut patet in tot aliis contractibus, in quibus jus aliquod acquiritur, quin tamen acquirens illo utatur. Ergo &c. Nec dicas esse essentiale huic Sacramento, quod significet conjunctionem Christi cum

Eccle-

Ecclesia, quam absque copula non significat; R/. enim duplicem distinguendam conjunctionem Christi cum Ecclesia, moralem unam per gratiam & affectum, alteram physicam per assumptionem naturæ humanæ. Prima est utique essentialis Matrimonio, sed hæc in illo habetur etiam absque copula: secunda est accidentalis, unde etsi non haberetur per copulam, nihil referret.

Nec pariter spectat ad essentiam Matrimonii consensus in copulam, sed sufficit consensus in jus ad eandem copulam; nam si non est essentialis Matrimonio copula, nec est, cur debeat dici essentialis consensus in illam. Ubi noto nec subsistere sententiam aliquorum putantium copulam esse partem integralem Sacramenti Matrimonii, ut satisfactio est pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ; nam hoc admisso copula deberet conferre gratiam ex opere operato, quod nemo dixerit.

Ad valorem ejusdem Matrimonii non spectat consensus parentum ita definiente Tridentino (*a*), quod anathematizat *eos, qui falso affirmant Matrimonia a filiisfamilias sine parentum consensu contracta irrita esse, & parentes ea rata. vel irrita facere posse*. Et sane in iis, quæ spectant ad amplectendum statum vitæ permanentem etiam filius debet esse sui juris. Ergo &c. Quamvis autem valida sint hæc Matrimonia, regulariter tamen sunt illicita, & quidem graviter, cum sint contra reverentiam parentibus debitam, & idcirco Tridentinum (*b*) dicit Ecclesiam semper detestatam fuisse hæc Matrimonia. Dixi *regulariter*; nam fieri potest, ut in aliquo casu filii non peccent sic contrahendo, si nempe parentes sint inviti irrationabiliter.

Pro-

(a) *Sess.* 24. *cap.* I.
(a) *Ibidem*.

Probabilius materia remota Matrimonii, sunt corpora contrahentium ut apta carnali copulæ, proxima vero est mutua traditio juris in hæc corpora relate ad dictam copulam. Forma autem est mutua talis juris acceptatio: cui quidem sententiæ magnum robur accedit ex Benedicto XIV. qui in sua epistola ad Archiepiscopum Goanum incipiente: *Paucis ab hinc hebdomadibus* (a) ait *Materia est mutua corporum traditio verbis ac nutibus assensum exprimentibus, & mutua corporum acceptatio forma.*

Fuit institutum hoc Sacramentum, vel cum Christus illud commendavit dicens: (b) *Quod Deus conjunxit, homo non separet*: vel post resurrectionem, cum mansit in terra multa ordinans & disponens circa regimen Ecclesiæ.

Controvertitur quinam sit minister hujus Sacramenti. Aliqui volunt esse Sacerdotem, sed probabilius & communius asseritur esse contrahentes; nam I. isti ponunt materiam & formam. II. Matrimonia clandestina, idest contracta sine præsentia Parochi & testium ante Tridentinum erant vera Sacramenta, & sunt etiam nunc, ubi Tridentinum non est publicatum. Quomodo autem possent hæc Matrimonia esse Sacramenta deficiente ministro, ut defuisset in casu, si hic esset Sacerdos? Nec juvat respondere talia Matrimonia fuisse & respective esse solum valida in ratione contractus, non autem in ratione Sacramenti; nam ut advertit Benedictus XIV. (c) Tridentinum ea declaravit *vera ac rata*, qualia non declarasset, nisi agnovisset valida etiam in ratione Sacramenti; sciebant enim Patres Tridentini a Sacris Canonibus non ita appellari nisi Matrimonia, quæ sint etiam Sacramenta, ut patet ex Innocentio III. ita scribente (d): *Etsi Matrimo-*

(a) *Tom.* 4. *Bull.* (b) *Matt.* 19.
(c) *De Synod. Diœces. lib.* 8. *cap.* 13. *n.* 5.
(d) *In cap.* Quanto *de divortiis.*

monium inter infideles exiſtat, non tamen eſt ratum, inter fideles autem verum & ratum exiſtit, quia Sacramentum fidei, quod ſemel eſt admiſſum, nunquam amittitur, ſed ratum efficit conjugii Sacramentum. III. cum Matrimonium coram Parocho & teſtibus contractum fuit nullum ob dirimens impedimentum occultum, S. Pœnitentiaria si rogetur de diſpenſatione, ſolet diſpenſare injungendo, ut revalidetur Matrimonium ſecreto ſine præſentia Parochi & teſtium, ut uberius infra. Ergo &c.

At inquies I. Matrimonium eſt res ſacra. Exigit ergo pro miniſtro perſonam ſacram. Et ſane Sacerdos ipſe conjungit in Matrimonium contrahentes per illa: *Ego vos conjungo in Matrimonium &c.* Ergo &c.

II. Multa Concilia, Ritualia, Pontifices &c. appellant Sacerdotem miniſtrum Matrimonii, & dicunt per illius benedictionem conferri gratiam. Ergo &c.

Ad I. ℟. Actionem hanc ſacram non immutare naturam contractus, cujus eſt poni in eſſe a contrahentibus. Verba autem illa: *Ego vos conjungo &c.* habent hunc ſenſum: *ego vos declaro conjunctos*, vel *ego nomine Eccleſiæ ratum habeo hoc Matrimonium*. Sane non alium eſſe horum verborum ſenſum patet ex quo, etſi hæc a Parocho non proferantur, ſi tamen ſit præſens ſimul cum teſtibus, valet Matrimonium. Ergo &c.

Ad II. ℟. Sacerdotem dici Matrimonii miniſtrum late talem, quatenus eſt miniſter illius ſolemnitatis & cæremoniæ extrinſecæ, quæ comitatur celebrationem Matrimonii. Hoc etiam ſenſu dicitur recipi gratiam per benedictionem Sacerdotis, quia tunc perficitur Sacramentum per conſenſum conjugum.

Si ergo miniſter hujus Sacramenti ſunt contrahentes, patet, quod ex hoc etiam capite tenentur eſſe in gratia, dum contrahunt, ſicque ſi contrahunt in lethali, duplex peccatum committunt, unum quatenus indigne miniſtrant Sacra-

cramentum, alterum quatenus indigne illud suscipiunt. Patet etiam non teneri sub gravi Sacerdotem esse in gratia, dum assistit Matrimonio, cum non ministret Sacramentum.

Producit hoc Sacramentum gratiam sanctificantem, ut producunt alia, & gratias Sacramentales consistentes in jure, quod acquirunt conjuges ad auxilia actualia tempore opportuno acquirenda, ut rite subeant opera Matrimonii; characterem hoc Sacramentum non imprimit.

ARTICULUS QUARTUS.

Ad valide contrahendum Matrimonium certum est requiri verum contrahentium consensum tum internum, tum etiam externe manifestatum. Hoc patet ex dictis tum circa intentionem ministri, quæ debet esse interna, tum circa naturam Sacramentorum, quæ debent esse externa & sensibilia, tum circa naturam peculiarem istius Sacramenti essentialiter involventis contractum, qui sine interno contrahentium consensu, & externa illius manifestatione nequit subsistere. Et hinc talis consensus a nulla humana potestate suppleri potest. Ubi noto, quod plures docent licere ex metu gravi simulare hunc consensum; hoc enim non est simulatio illa Sacramentorum, quæ damnata est ab Ionncentio XI., & quæ importat, ut vere ponatur materia & forma Sacramenti sine animo ipsum Sacramentum ponendi, sed est non ponere veram materiam & formam, quæ consistunt in vero consensu.

Hic consensus debet exprimi per verba (aut in defectu verborum per alia signa) de præsenti; si enim per verba de futuro exprimeretur, non haberet rationem Matrimonii, sed Sponsaliorum. Quoniam autem multipliciter hic consensus potest exhiberi, ideo ita distinguere præstat.

Vel consensus est absolutus, vel conditionatus. Si primum, vel est purus & simplex, qui scilicet habeat pracise, quod requiritur ad ratio-

tionem consensus, & nihil amplius, ut si quis præcise diceret: *duco te*: vel est non purus, sed complexus, qui scilicet aliquid aliud includat præter rationem consensus, & hoc potest quatuor præcipue modis contingere: primo si apponatur demonstratio, cum scilicet denotatur aliqua qualitas personæ, cum qua contrahitur, ut si diceretur: *duco te, quæ es dives*: secundo si apponatur causa, cum scilicet denotatur ratio, ob quam initur contractus, ut si diceretur: *duco te, quia es dives*: tertio si apponatur tempus, cum scilicet denotatur tempus, quo debet incipere valere contractus, ut si diceretur: *duco te post tres dies*: quarto si apponatur modus, cum scilicet adjicitur onus, ad quod volumus subjectum contrahentem, ut si diceretur *duco te, ut mihi inservias*.

Quæcumque apponatur consensui demonstratio vel causa, quamvis sint falsæ, aut turpes, aut contrariæ bonis substantialibus Matrimonii, consensus non idcirco irritatur; demonstratio enim & causa non afficiunt intrinsece consensum, nec ipsum ingrediuntur, sed sunt illi extrinsecæ, & solum ostendunt opinionem consentientis circa objectum consensus, vel rationem, ob quam inducitur ad consentiendum, unde licet, si hic sciret demonstrationem vel causam non subsistere, non consentiret, & licet, si istæ sint turpes, vel contrariæ bonis substantialibus Matrimonii, non deberet consentire, adhuc tamen verificatur, quod hic & nunc vere consentit. Excipe tamen, si falsitas demonstrationis vel causæ reducatur ad errorem circa personam, aut conditionem servilem personæ: tunc enim irritabitur consensus, ut explicabitur ubi de impedimentis Matrimonii.

Circa tempus noto probabilius non valere consensum, nisi pro eo tempore, quod consensus connotat; nam contrahentes non intendunt se obligare nisi pro eo tempore. Tandem circa modum noto quod, etsi hic sit de re turpi aut impossibili, probabiliter tamen non annullat consen-

sum;

sum, cùm hic non dependeat a modo, alias modus esset conditio. Dixi *probabiliter*; nam si modus sit contra bona substantialia Matrimonii, ut si ita exprimeretur: *duco te, ut adulterium committas*, plures affirmant Matrimonium tunc esse nullum, quia non videtur habere animum contrahendi, qui habet intentionem contractui oppositam, ut videtur habere, qui talem modum apponit.

Ad consensum modo conditionatum deveniendo adverto conditionem posse esse vel de præterito, vel de præsenti, vel de futuro. In primo & secundo casu certum est valere consensum conditione verificata, non verificata non valere. In tertio casu quamvis fortasse speculative posset valere regula, quam agendo de Sacramentis in genere indicavi, quod scilicet non suspendatur consensus, sed statim sit vel validus vel invalidus, prout hic & nunc vel est verum, vel non est conditionem esse ponendam; in praxi tamen ita communiter proceditur.

Vel conditio est necessaria, vel impossibilis, vel contingens. Si primum non suspenditur consensus, sed statim est validus; nam tunc non conditionatus, sed absolutus censetur: & ita si quis sic consentiat: *contraho tecum, si cras sol oriatur*, statim valet consensus. Si secundum, etiam tunc valet consensus, ut statuitur in jure (*a*); nam præsumitur, quod apponens talem conditionem, illam non serio & ex animo apponat, unde hæc conditio censetur non apposita. Valet igitur hic consensus: *contraho tecum, si cras volabis, aut si digito cœlum tanges.*

Conditiones autem contingentes aliæ sunt honestæ, aliæ indifferentes, aliæ turpes: & turpes aliæ sunt contra bona substantialia Matrimonii, alia

(a) *Cap.* finali *de condit. apposit.*

alia non. Appositio conditionis honestæ aut indifferentis suspendit consensum, qui incipit valere, si purificetur conditio, sin minus, non valebit. Appositio conditionis turpis non contrariæ bonis substantialibus Matrimonii non suspendit consensum; censetur enim non apposita, ut dixi de conditionibus impossibilibus (a): si vero conditio sit contra bona substantialia Matrimonii, reddit consensum invalidum, quia non censetur vere consentire in Matrimonium, qui non habet animum servandi bona illius substantialia (b).

Notant hic Doctores quod, si duo laborantes impedimento contrahant sub hac conditione: *si Papa dispensaverit*, videndum est, utrum Papa in tali impedimento soleat dispensare, nec ne; si enim solet, censenda est conditio possibilis & honesta, unde tunc valent supra dicta de his conditionibus. Si vero Papa non soleat dispensare, tunc conditio est censenda impossibilis: nec tamen hic valet, quod supra innui, scilicet conditiones impossibiles censeri non adjectas, adeoque non infirmare consensum; hoc enim valet, cum consensus seclusa conditione est validus, quod non contingit in casu, cum contrahentes sint inhabiles ad consentiendum.

Noto pariter quod, cum Matrimonii validitas suspenditur ob contingentiam alicujus conditionis futuræ, statim ac hæc purificatur, probabilius Matrimonium subsistit, etsi non renovetur consensus, cum hæc sit natura omnium contractuum conditionalium, ut purificata conditione absque novo consensu validi sint (in praxi tamen ad majorem securitatem præstabit renovare consensum). Licet autem, qui sic contraxerunt, possint ante hanc purificationem a contractu resilire, id tamen possunt solum de mutuo con-

(a) *Cap.* finali *de condit. apposit.*
(b) *Ibidem*.

consensu; secus enim obligantur ad expectandum eventum conditionis.

Noto tandem supra dicta circa validitatem Matrimonii conditionati sub conditione impossibili vel turpi non contraria bonis substantialibus Matrimonii valere præcipue pro foro externo; si enim de interno loquamur, non valent nisi cum verus adfuerit consensus; nam cum de foro interno agitur, de mente potius contrahentium debemus esse solliciti, quam de regulis ab Auctoribus traditis pro dignoscendo legitimo consensu.

ARTICULUS QUINTUS.

Tria sunt juxta omnes bona substantialia Sacramenti Matrimonii, quæ etiam dicere possusumus illius proprietates, nempe bonum *fidei*, *prolis*, & *Sacramenti*. Primum importat obligationem, ne conjux proprii corporis copiam faciat alteri, quam conjugi, secundum obligationem, ne impediatur prolis generatio: tertium Matrimonii indissolubilitatem juxta inferius explicanda. Circa primum nihil hic occurrit specialiter notandum. Circa secundum adverto conjuges nullam ex justitia habere obligationem petendi debitum conjugale, sed solum reddendi, cum petitur ab altero, si rationabiliter petatur. Obligantur tamen, cum hoc debitum persolvunt, ad non impediendam positive prolis generationem, ut obligantur ad non excludendum illius finem, licet possint etiam habere alios fines, ut sedandi concupiscentiam, vel fovendi mutuum amorem. Dixi ex *justitia*; nam aliquando possunt ex charitate teneri, si nempe unus videat in altero conjuge periculum incontinentiæ, nisi petat. Adverto tamen concedi conjugatis (*a*) bimestre a contra-

(a) *Cap.* Ex publico *de convers. conjug.*

tracto Matrimonio, intra quod non tenentur reddere debitum, ut interim cogitent, an velint Religionem ingredi. Si autem intra illud bimestre alter violenter extorqueat copulam, tunc Matrimonium redditur quidem abſolute indiſſolubile, ut infra oſtendam, ſed qui injuriam paſſus eſt, non idcirco amittit jus ingrediendi Religionem. Elapſo autem bimeſtri (quod tamen poteſt arbitrio Judicis prorogari aut contrahi) tenentur conjuges reddere debitum, ſed ſemper ante copulam, etſi elapſi ſint plures anni a contracto Matrimonio, poſſunt juxta Sanchez Religionem ingredi.

Quæ dixi circa petitionem & redditionem debiti ſubſiſtunt, cum valor Matrimonii eſt certus Quid autem, ſi hic ſit dubius?

℟. Vel uterque conjux dubitat, vel ſolum unus. Pariter vel dubium erat ante Matrimonium contractum, vel ſolum illo contracto advenit. Si dubitat uterque, & dubium erat etiam ante Matrimonium, neuter poteſt aut petere aut reddere, quia cum ante Matrimonium prohibitio copulæ eſſet certa, nec iſtis copula permittatur niſi ſuſcepto Matrimonio, quod, ut ſupponitur, eſt incertum, & ob malam fidem, qua contractum eſt, non poteſt eſſe in poſſeſſione, hinc ſemper remanet in poſſeſſione prohibitio. Si uterque conjux dubitat, ſed uterque bona fide contraxit, tenentur quidem adhibere debitam diligentiam, & antequam hanc adhibuerint, neuter poteſt petere aut reddere, ſed hac adhibita & perſeverante dubio poſſunt licite & petere & reddere, quia tunc Matrimonium utpote bona fide contractum eſt in certa poſſeſſione, a qua nequit per ſimplex dubium depelli. Quod ſi unus tantum dubitet, hic tenetur reddere, cum alter, qui eſt in bona fide, non debeat privari jure ſuo. Quantum autem ad petitionem, ſubdiſtinguendum: vel Matrimonium bona fide contraxit, vel mala. In ambobus iſtis caſibus ad idem tenetur, ad quod ſupra dixi teneri ambos conjuges in ſimili circumſtantia.

Circa bonum Sacramenti, cum hoc, ut dixi, secum ferat Matrimonii indissolubilitatem, plura sunt hic afferenda.

In primis itaque triplex distinguitur Matrimonium, *legitimum*, *ratum*, & *consummatum*. Legitimum & ratum rigorose est Matrimonium, cui nihil deest ad verum contractum, sed antonomastice legitimum dicitur Matrimonium non baptizatorum, ratum Matrimonium baptizatorum, cui nondum accessit copula: consummatum vero Matrimonium, cui copula accessit.

Patet autem ex bono Sacramenti non reddi indissolubile Matrimonium non baptizatorum, quamdiu tales sunt, cum istud non sit Sacramentum: at cum tale evadat, quando baptizantur juxta superius dicta, videndum modo, quomodo tunc fiat indissolubile. Qua in re sic procedere possumus. Vel ambo conjuges baptizantur, vel unus tantum. Si primum, non dissolvitur illorum Matrimonium, sed perseverat, imo firmius evadit ex ratione Sacramenti, quæ illi adjungitur. Antequam autem copulam habeant suscepto Baptismo, Matrimonium est tantum ratum, etsi consummatum fuisset ante Baptismum, quia illa consummatio utpote anterior Baptismate nequit efficere, ut illud dicatur Matrimonium consummatum Christianorum. Si vero alter tantum baptizetur, subdistinguendum; vel enim infidelis consentit habitare cum fideli, vel non. Si non, potest dissolvi Matrimonium etsi in infidelitate consummatum; nam Apostolus generaliter ait: (a) *Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam ... sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem .... Quod si infidelis discedit, discedat;*

(a) 1. *Cor.* 7.

dat; non enim servituti subjectus est frater, aut soror in hujusmodi: & Innocentius III. ait (a): *Si alter infidelium conjugum ad fidem catholicam convertatur altero vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini nominis, vel ut eum pertrahat ad peccatum mortale, ei cohabitare volente, qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transibit.* Ex quo patet idem valere, si infidelis consentit quidem habitare cum fideli converso, sed non sine blasphemia Dei, vel periculo perversionis. In casu autem potest dissolvi Matrimonium ex jure divino positivo nobis per Apostolum manifestato.

Si vero infidelis consentit habitare cum fideli absque injuria Creatoris, & pertractione ad peccatum, dicendum probabilius cum Sanchez primis quidem Ecclesiæ sæculis, quibus licebat in adductis circumstantiis fideli habitare cum infideli ob spem conversionis istius, non potuisse solvi Matrimonium ex adducta sententia Apostoli, nunc vero, cum talis cohabitatio sit ab Ecclesia prohibita, quia experientia ostendit frequentius fidelem perverti ab infideli, quam ut hic convertatur a fideli, posse Matrimonium dissolvi; nam nunc cum infidelis non vult converti, censetur velle discedere a conjuge converso, cum nolit illud efficere, sine quo fidelis non potest cum illo habitare. Fidelis ergo juxta dictum Apostoli liber est.

Ubi tria sunt notanda: primo consulto me dixisse posse in allatis circumstantiis dissolvi Matrimonium, potius quam dicerem illud censeri debere solutum, non enim ex se solvitur Matrimonium fidelis cum infideli, cum hic non vult converti, sed solum cum fidelis transit ad alias nuptias. Ita Sanchez. Et ratio est, quia in jure dici-

N 2

(a) *Cap. Quanto de divortiis.*

dicitur (*a*): *Si converſum ad fidem & illa converſa ſequatur, antequam propter cauſas prædictas legitimam ille ducat uxorem, eam recipere compelletur*. Si ergo fidelis ante nuptias initas cum alia tenetur recipere priorem ſe convertentem, patet ſubſiſtere adhuc prius Matrimonium, aliter non eſſet, cur fidelis teneretur primam conjugem recipere, cum ipſa per diſſolutionem Matrimonii amiſiſſet omne jus ad novum Matrimonium cum eodem ineundum: quomodo ſi alter ex conjugibus moreretur, & poſtea reſurgeret, non amplius teneretur primum conjugem ducere. Secundum eſt quod, cum tunc ſolvitur Matrimonium, filii ſi ſint capaces rationis, debent proprio arbitrio relinqui, ſin minus debent ſequi parentem fidelem (*b*): tertio quod antequam converſus tranſeat ad ſecundas nuptias teneretur monere conjugem infidelem, ut convertatur, & non diſſolvatur Matrimonium ex præcepto Gregorii XIII. & S. Pii V. Ubi etiam notat Lacroix prædictum Gregorium XIII. præſcripſiſſe, ut, ſi hic conjux infidelis non poſſet moneri, requiratur diſpenſatio Summi Pontificis ad novas nuptias contrahendas.

Obiter etiam hic adverto Matrimonia infidelium, quandiu tales ſunt, eſſe jure naturæ (ſubintellige ſecundario) indiſſolubilia; hoc enim exigit recta prolis generatio & educatio. Adverto etiam in lege Moſaica permiſſum fuiſſe repudium; nam ait Deus: (*c*) *Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem, ſcribet libellum repudii, & dabit in manu illus, & dimittet eam de domo ſua*. Solis viris licebat uxores repudiare; nam hæ non poterant repudia-

re

(a) *Cap.* Gaudemus *de divortiis*.
(b) *Cap. ult. de convers. Infidel.*
(c) *Deut.* 24.

re viros. Hoc repudium erat, ut patet, licitum, & quamvis dicatur a Christo (a) permissum ob duritiam cordis Judæorum, hoc tamen indicat quidem hanc duritiem fuisse occasionem concessionis, sed non arguit illius abusum. Probabilius per repudium solvebatur vinculum conjugale; nam repudiata poterat alium ducere, qui dicebatur illius maritus, qualis dici non potuisset, si substitisset prius Matrimonium. Rursus injusta fuisset hæc lex repudii, si non abscidisset vinculum conjugale; nam repudiata debuisset toto tempore vitæ suæ in cœlibatu remanere, cum vir repudians alias posset. Ergo &c.

Ad indissolubilitatem modo Matrimonii rati progredior. Circa hoc noto illud indissolubilitatem peculiarem acquirere ex ratione Sacramenti, quæ illi competit: quo tamen non obstante illud dissolvi per solemnem Professionem Religiosam definitum est a Tridentino dicente: (b) *Si quis dixerit Matrimonium ratum, non consummatum per solemnem Religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit*. Dissolutionem autem hanc in casu ex jure tantum Ecclesiastico provenire videtur probabilius; non enim sufficienter probatur illam provenire ex jure divino positivo, aut naturali. Ex jure autem Ecclesiastico provenit non scripto, sed tradito per contuetudinem.

An extra hunc casum possit Papa ex gravi causa solvere vinculum Matrimonii rati controvertitur. Plures negant, tum quia inseparabilitas conjugum fidelium est de jure naturali & divino, in quo Papa nequit dispensare, quod etiam docuit Christus dicens: (c) *Quod Deus conjunxit, homo non separet:* tum quia, si id posset Papa in Matrimonio rato, posset etiam in consumma-

 to,

(a) *Matt.* 19. (b) *Sess.* 24. *Can.* 6.
(c) *Matt.* 19.

to, quod nullus dicet. Sed probabilius videtur oppositum; omisso enim, quod videtur asserendum Christum concessisse Papæ Vicario suo facultatem tollendi vinculum conjugale, cum id bono Ecclesiæ & fidelium expediret, id etiam ostendit praxis ipsorum Pontificum; nam refert D. Antoninus ita se gessisse Martinum V. & Eugenium IV., quod idem de Paulo III. & Pio IV. refert Navarrus, & Enriquez testatur Gregorium XIII. unica die 11. Matrimonia solvisse, nec desunt exempla etiam moderniora. Quis autem dicat Pontifices hos errasse?

Ad rationes autem contrarias R. indissolubilitatem Matrimonii non ita esse de jure naturali & divino, ut istud non possit in aliquo casu solvi, ut constat ex supradictis de professione Religiosa. Cur ergo non itidem solvi poterit a Papa ex alia rationabili causa? At inquis: hic nequit dispensare in jure naturali & divino: utique si loquamur de auctoritate propria, non si loquamur de auctoritate ipsi a Christo concessa. Et sane potest Papa relaxare voti obligationem, quæ & ipsa est de jure naturali & divino. Ergo a pari &c. Ex quo patet non obstare huic sententiæ dictum Christi; non enim est homo, qui separat conjunctos a Deo, sed est Deus ipse per hominem. Disparitas autem est inter Matrimonium consummatum & ratum, quod illud voluit Deus absolute indissolubile, secus vero istud, & hoc colligitur primo ex sensu Ecclesiæ, quæ semper illud agnovit ita indissolubile, ut nec in ipso Papa agnoverit facultatem illud dissolvendi, secus alterum: secundo ex significatione ampliore Matrimonii consummati præ rato; illud enim significat conjunctionem Christi cum Ecclesia per unionem hypostaticam, quæ conjunctio est indissolubilis: ratum autem significat tantum conjunctionem Christi cum Ecclesia per gratiam, quæ conjunctio est solubilis saltem aliquo modo, scilicet respective non ad totam Ecclesiam, sed ad singulos fideles.

Patet

Patet jam Matrimonium consummatum esse omnino indissolubile, simulque patet ratio hujus indissolubilitatis. Noto autem quod, cum de indissolubilitate Matrimonii egi, de illa egi spectata quoad vinculum; posse enim separari conjuges quoad thorum & habitationem vinculo conjugali durante certum est apud omnes: hæc autem separatio dicitur *divortium*. Quod quidem potest esse & perpetuum, & ad tempus, & rursus vel potest fieri ex mutuo conjugum consensu, & fieri potest ex alia justa causa etiam contra voluntatem alterius ex conjugibus.

Ex mutuo consensu possunt conjuges separari, vel ut liberius Deo serviant, vel si ambo voveant castitatem, vel si ambo velint Religionem ingredi, vel ne proles multiplicetur supra illorum facultates. Cum tamen vir (post consummationem Matrimonii) vult Religionem ingredi, non sufficit, si uxor consentiat, sed & ipsa debet Religionem ingredi, vel, si id permittat Superior, potest quidem in sæculo remanere, sed ita ut perpetuam continentiam voveat.

Hoc, quod dixi exigi ab uxore, dum maritus Religionem ingreditur, contendunt aliqui non exigi, cum maritus Ordines sacros suscepit; sufficit enim, inquiunt, quod tunc uxor etsi juvenis voveat castitatem in sæculo, quin teneatur ingredi Religionem; nam, subjungunt isti, ideo id præcipitur in casu a Superiore, quia, cum maritus Religionem ingreditur, non potest amplius curam gerere uxoris, eamque corrigere, si forte peccet. Necesse est ergo, ut hæc se ab occasione subtrahat peccandi, & Religionem ingrediatur, nisi ab occasione hujusmodi illam eximat ætas. At hoc non valet quando maritus Ordines suscipit; tunc enim potest uxoris curam gerere, eamque corrigere, si forte peccet. Sufficit ergo in casu, si hæc voveat castitatem. At communius cum Sanchez docent Theologi etiam in hoc casu teneri uxorem ingredi Religionem (nisi illius ætas provecta cum voto perpe-

tuæ castitatis illam eximat ab hoc onere); nam manendo in sæculo exposita est periculo incontinentiæ, & tantum abest, quod expectari possit, ut illam maritus corrigat, quin potius timendum, ne ipsa maritum subvertat. Nec dicas posse utrumque conjugem vovere castitatem in sæculo, quin tamen alteruter teneatur ingredi Religionem, & tamen æquale est nunc periculum incontinentiæ, ac in supraposito casu; nam R. huic posteriori periculo facile occurri posse petendo dispensationem a voto cui periculo non potest ita providere sacris Ordinibus initiatus.

Inter causas ad faciendum divortium etiam contra voluntatem alterius conjugis primo & principaliter numeratur adulterium, quod constat tum ex Scriptura, ubi dicitur: (a) *Qui dimiserit uxorem suam excepta causa fornicationis, facit eam mœchari*, tum ex jure canonico (*b*). Nomine adulterii non venit nisi copula consummata, unde alii actus quam impudici citra hanc copulam non dant jus divortio, cum lex pœnalis, qualis est ista, sit stricte intelligenda, præcipue cum agatur de excludendo aliquo a jure certo, quod possidet. Venit tamen probabilius juxta Sanchez copula vel bestialis, vel sodomitica cum alia persona, quia exercens hujusmodi copulam dividit carnem cum alio. In hypothesi igitur adulterii in terminis supra expressis innocens habet jus ad divortium, cui tamen juri potest per se loquendo renunciare, si velit. Si autem velit divertere, disputatur, an id facere possit propria auctoritate, & absque Judicis sententia. Probabilius distinguendum inter casum adulterii notorii, & casum adulterii occulti. In primo casu non est, cur id non possit facere propria

---

(a) *Matt.* 5.
(b) *Cap.* Gaudemus *de divortiis*.

pria auctoritate; nam ex una parte ipſe habet jus ad divortium, ex alia non infamatur adulter ob divortium, cum cauſa illius ſupponitur notoria. In ſecundo caſu poteſt quidem innocens propria auctoritate divertere quoad thorum, quia adulter amiſit jus tum petitionis, tum redditionis debiti conjugalis, & fortaſſe etiam poſſet divertere quoad habitationem, ſi abeſſet ſcandalum, ſed cum hoc difficile poſſit abeſſe, regulariter requiretur ſententia Judicis.

Noto autem nunquam conjugem innocentem poſſe propria auctoritate divertere, niſi adulterium alterius certum ſit; non enim ſufficit mera probabilitas, aut dubium, cum ex dictis agatur de ejiciendo aliquo a jure certo, quod poſſidet (quod etiam proportionaliter dicendum circa alias cauſas divertendi infra enumerandas).

Porro relate ad divortium in cauſa adulterii pares ſunt maritus & uxor. Facto autem divortio propter adulterium poteſt ex communi conjux innocens vel ingredi Religionem, vel Ordines ſuſcipere etiam altero invito, quia hic tunc non habet jus illum impediendi. Sed hic quoque debet caveri ſcandalum proportionaliter ad ſupra dicta. Poſt illius autem Profeſſionem ſolemnem, aut ſuſceptionem Ordinis ſacri etiam conjux adulter poteſt Religionem ingredi, licet antea non poſſit, cum innocens habeat jus reconciliandi ſe cum adultero & tollendi divortium, quo jure non debet privari per alterum, unde etſi adulter tunc Religionem ingrederetur, poſſet ab illa nutu innocentis revocari. Poteſt tamen adulter etiam antea Religionem ingredi, ſi alter contentus ſit. Notant etiam Doctores quod, ſi ex conſenſu innocentis adulter Religionem ingrediatur, ipſe innocens manens in ſæculo non tenetur ad votum caſtitatis; licet enim in jure præcipiatur, ut ingreſſo in Religionem uno conjuge alter, ſi manet in ſæculo, caſtitatem voveat, id tamen ſolum præcipitur, cum Matrimonium erat antecedenter illæſum, & unus conjugum de licentia

alterius Religionem ingreditur, non vero quando factum antecedenter est divortium propter adulterium, ex qua eadem ratione dicitur neque teneri ad emittendum hoc votum adulterium, si Religionem ingrediatur innocens.

Aliqui tamen sunt casus, in quibus non licet divortium etiam posito adulterio. Hi sunt I. quando uterque conjux adulteravit; nam tunc ista delicta mutua compensatione abolentur. Si tamen alter est emendatus, & admonuit alterum, ut resipisceret, hic vero non est emendatus, docet probabiliter Sanchez priorem posse ab altero divertere, quia sicuti posset divertere, quando post adulterium reconciliati essent, & unus relapsus fuisset, ita videtur dicendum in casu, cum admonitio ab uno alteri facta, ut resipisceret, æquivalere videtur reconciliationi, saltem quatenus hæc illi offertur, & tenetur eam acceptare, unde sibi debet imputare, si non acceptet. Adulterium ergo post hujusmodi admonitionem patratum debet considerari ut commissum post reconciliationem, adeoque debet dare jus divortio. Ubi etiam noto quod, si post factum divortium innocens in adulterium labatur, probabilius prior adulter potest alterum cogere ad tollendum divortium; cum enim etiam non obstante divortio innocens teneretur ad non frangendam alteri fidem non adulterando, hinc si adulteravit, injuriam illi fecit, adeoque crimina tunc compensantur. II Quando vir dedit uxori proximam ansam adulterandi, ut si ultro dederit ad id facultatem, vel si potens facile impedire non impedivit (quod tamen Sanchez docet non verificari de uxore respectu mariti adulterantis; nam communiter uxor non audet maritum corripere). III. Quando adulterium inculpabiliter commissum est, ut si fœmina per vim cognita fuit. Quamvis autem aliqui velint adulterium commissum ex metu gravi non dare causam divortio, probabilius tamen cum Sanchez dicendum est dare, quia metus etiam gravis in casu non

ex-

excuſat adulterum a culpa gravi. IV. Quando poſt adulterium innocens adultero crimen remiſit vel expreſsé, vel tacite petendo E. G. vel reddendo debitum

Cauſæ faciendi divortium ad tempus, quod ſcilicet durare debet ſolummodo, quamdiu durant hæ cauſæ, ſunt.

I. Hæreſis aut apoſtaſia alterius ex conjugibus; hac enim durante poteſt innocens ab alio divertere; ita enim ſtatutum eſt in jure propter periculum perverſionis. Quamvis autem aliqui exiſtimaverint quod, ſi alter ex conjugibus incidat in hæreſim, alter in adulterium, non liceat divortium, quia tunc crimina compenſantur, Bellarminus tamen probabilius ſuſtinet oppoſitum; nam licet hæreſis ſit peccatum gravius adulterio, magis tamen hoc, quam illa opponitur Matrimonio, cum adulterium immediate irroget conjugi injuriam, ſecus hæreſis Si tamen conjux ſit ab altero judicio Eccleſiæ ſeparatus & condemnatus ut hæreticus, non tenetur alter unquam ad eum reverti, quia nimis eſſet grave cohabitare cum illo, qui de hæreſi fuit aliquando infamatus.

II. Eſt pertractio ad peccatum, ſi nimirum conjux nitatur alterum inducere ad peccandum in aliquo genere peccati; tunc enim præmiſſa correctione ſi ille non reſipiſcat, poteſt alter divertere. Hinc poteſt etiam divertere uxor, ſi E. G. maritus eam alat turpi lucro deducto ex uſuris, aut lenociniis, & hoc ne participet cum viro in his criminibus.

III. Eſt ſævities alterius conjugis: ſi nempe conjux notabiliter ſæviat in conjugem, datur locus divortio. Dixi *notabiliter*, ideſt ſi intentetur mors, aut grave damnum; non enim divortium licet, ſi ſævities ſit moderata, & multo minus, ſi maritus E. G. moderate corripiat uxorem delinquentem. Licet etiam divortium, ſi conjux, contra quem alter notabiliter ſævit, illi occaſionem dederit ſæviendi; nam quamvis in caſu poſſit intervenire juſta aliqua & moderata corre-

ptio, semper tamen est illicita sævities notabilis. Hoc pariter divortium licet ex Sanchez, si frequentes sint discordiæ, adeoque molesta cohabitatio; hæc enim vere sunt malum grave, quod non tenetur innocens subire permanendo cum altero, cujus culpa accidunt. Ubi etiam noto non teneri post divortium conjugem innocentem redire ad alterum, qui antea sæviebat nisi obtenta cautione de amplius non sæviendo: qua tamen etiam cautione exhibita fieri potest, ut conjux non teneatur redire ad alium conjugem, si nempe tanta sit istius sævities, ut etiam cautione præstita nulla sit securitas, quod amplius non sæviet.

IV. Si conjux gravi ac contagioso morbo laboret; tunc enim valde periculosum est alteri conjugi cum illo habitare: si vero morbus sit quidem gravis, sed non contagiosus, videtur conjux non deobligari a cohabitando, sed potius teneri ad inserviendum infirmo.

V. Tandem est, si a delicto unius conjugis grave damnum alteri oriatur, aut si uxor esset venefica, & consilio Dæmonis uteretur.

Dixi supra adulterium dare causam divortio; non enim putandum per illud solvi vinculum conjugale. Ita Tridentinum inquiens (a): *Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum docuit, & docet juxta Evangelicam & Apostolicam doctrinam propter adulterium alterius conjugum Matrimonii vinculum non posse dissolvi, & utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse altero conjuge vivente aliud Matrimonium contrahere, mœcharique eum, qui dimissa adultera aliam duxerit, & eam, quæ dimisso adultero alii nupserit, anathema sit.* Sed

Dices. Christus ait (b): *Quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, mœchatur.* Ubi

(a) *Sess. 24. can. 7.*
(b) *Matt. 19.*

Ubi exceptio *nisi ob fornicationem* indicat non mœchari, qui dimittit uxorem, & alteri conjungitur, si uxor ipsa sit fornicata. Quod si in casu vir non mœchatur, supponitur dissolutum primum Matrimonium, alias mœcharetur.

℟. Primo verbis S. Augustini, qui examinans, quare Christus exceperit casum fornicationis; inquit (a): *Credo, quia illud, quod majus est, hoc Dominus commemorare voluit; majus enim adulterium esse quis neget uxore non fornicante dimissa, alteram ducere, quam si fornicantem quisque dimiserit, & tunc alteram duxerit? Non quia & hoc adulterium non est, sed quia majus est, ubi fornicante dimissa altera ducitur*: cum quo stat, ut advertit S. Doctor, quod mœchetur etiam, qui uxorem fornicantem dimittit. Ad quod comprobandum ipse adducit alia loca, ubi Christus nulla facta exceptione mœchiam viri dimittentis uxorem adstruit, ut est illud (b): *Quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam: & si uxor dimiserit virum suum, & alii nupserit, mœchatur*: & aliud (c): *Omnis, qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mœchatur, & qui dimissam a viro ducit, mœchatur*. Quare ergo, inquies, non asseruit tunc generaliter Christus mœchari omnes, qui uxores dimittunt? Respondet Bellarminus id divina prudentia factum esse; venerant enim tunc Pharisæi, ut tentarent Jesum, & quia jam audierant eum aliqua dixisse contra libellum repudii, ideo interrogaverunt eum, utrum liceret dimittere uxorem suam quacumque ex causa. Jesus ergo ad interrogata præcise respondens asseruit id non licere quacumque ex causa; cum enim non adest fornicatio, non licet. At ab altera quæstionis parte, de casu scilicet, quo adsit for-

(a) *Lib.* 1. *de adult. Conjug. cap.* 9.
(b) *Marc.* 10. (c) *Luc.* 16.

fornicatio, præscidit; si enim dixisset nec tunc repudium licere, dedisset occasionem Pharisæis illum calumniandi quasi adversantem legi Mosaicæ, quæ in casu adulterii repudium permittebat.

Respondent alii, & quidem probabiliter illud *mæchatur* referri ad utramque partem propositionis, ita ut sensus sit: mœchatur & qui dimittit uxorem, & qui aliam duxerit, primus quidem mæchia aliena, quatenus dimittendo uxorem præbet illi occasionem mæchandi juxta id, quod antea dixerat Christus (a): *Qui dimiserit uxorem suam excepta causa fornicationis, facit eam mæchari*: secundus vero mæchia propria, quia conjungitur non suæ. Quoniam autem a prima mæchia excusatur dimittens uxorem ob fornicationem; tunc enim, cum habeat jus illam dimittendi (subintellige quoad thorum) non illi imputatur, si uxor dimissa fornicetur, quod tamen imputaretur, si absque causa illam dimitteret, ideo additur: *nisi ob fornicationem;* fornicatio enim uxoris virum in casu excusat a mæchia per ipsam admissa, sed a mæchia propria non excusat illum, si alteri conjungatur. Illa proinde exceptio *nisi ob fornicationem* non apponitur nisi primæ parti sententiæ. Quamvis autem a mæchia aliena excusent modo dicto etiam aliæ causæ præter fornicationem uxoris, omnes scilicet causæ, ob quas dixi licere divortium, solius tamen fornicationis facta est mentio, quia hæc est divortii causa principalis, & sub cujus nomine aliæ comprehenduntur.

CAPUT SECUNDUM.

De Sponsalibus.

EXplicabo hic 1. quid sint Sponsalia: 2. agam de causis resiliendi ab illis.

AR-

(a) *Matt.* 5.

ARTICULUS PRIMUS.

Sponsalia sic dicta a *spondendo*, seu promittendo sunt *mutua promissio futuri Matrimonii*. Differunt a Matrimonio; nam hoc importat traditionem juris in corpora hic & nunc factam, illa vero imposterum faciendum. Important ergo Sponsalia promissionem, idest verum contractum, quo vir & fœmina se obligant ex justitia ad contrahendum Matrimonium. Ex quo patet ad hæc requiri verum animum internum, & aliquam illius manifestationem; nam sine his vera nequit haberi promissio, unde sine intentione promittendi invalida sunt Sponsalia, nec vi illorum potest obligari ad Matrimonium, qui ficte promisit, licet possit obligari ex alio capite, nimirum ut E. G. impediat damnum, quod alteri parti obvenit ex deceptione, ut si altera pars ideo caruit valde utili Matrimonio, nec alia via damnum potest reparari.

Si quis porro sub ficta promissione Matrimonii virginem defloravit, tenetur eam ducere; nam consentiendo in copulam, quam fœmina concedit sub conditione futuri Matrimonii, implicite se obligat ad idem Matrimonium. Excipe tamen casum, quo hic vir esset notabiliter dignior tali muliere; nam vel hæc cognovit fictionem, & tunc ipsa se decepit, vel non cognovit, & tunc, cum ratione fictionis teneatur quidem vir compensare damnum mulieri, sed tantum ad æqualitatem, proinde non tenetur illam ducere; nam sic ob excessum sui respective ad mulierem excederet damnum, quod intulit, unde in casu poterit aliter E. G. per pecuniam damnum compensare. Et hoc idem dicendum, si adjectum fuisset fictæ promissioni juramentum; nam cum non teneatur vir iste ad Matrimonium vi promissionis, nec teneatur vi juramenti, quod promissioni est accessorium, cum accessorium sequatur principale, adeoque non urgente principali nec urgeat accessorium.

Promissio, quæ in Sponsalibus includitur, cum sit de re gravi, est obligatoria sub gravi. Ubi noto non constitui Sponsalia a promissione sic concepta: *nullam aliam ducam, quam te*; hoc enim non importat promissionem Matrimonii cum illa fœmina, sed solum actum conditionatum, qui in hoc resolvitur: *si aliquam ducam, ducam te.*

Rursus promissio constituens Sponsalia debet esse mutua, quomodo mutuus debet esse consensus Matrimonialis, cujus initium sunt Sponsalia.

Hæc promissio debet fieri ab illis iisdem, qui Matrimonium contrahere volunt; nam promissiones ab aliis factæ nequeunt illos obligare, nisi forte qui promittunt, sint parentes, & promissio fiat præsentibus & tacentibus filiis; tunc enim valent Sponsalia (*a*), si tamen ipsi vere interne consentiant.

Debet præterea hæc promissio fieri ab uno & ab una determinate; non enim valida sunt Sponsalia (saltem in ratione Sponsalium) contracta ab uno promittente se unam vel alteram ducturum, etsi omnes repromitterent; nam hæc Sponsalia nequeunt esse valida respectu omnium, sic enim ille obligaretur ad ducendas omnes, nec respectu unius; non enim est major ratio pro una, ac pro alia. Ergo &c. Si tamen qui sic promisit, haberet copulam cum una, censeretur se determinare ad illam, adeoque cæteris paribus teneretur ad illam ducendam. Quod si quis pluribus successive promisisset, prævalent priora Sponsalia; nam secunda sunt invalida utpote de re illicita, cum sint de Matrimonio, quod illicite contraheretur stantibus primis Sponsalibus: & hoc valet etsi prima non fuerint jurata, utique vero secunda; nam juramentum nequit esse vinculum iniquitatis.

Hoc

(a) *Cap.* Finali *de desponsat. impuberum*.

Hoc idem dicendum, etsi cum secunda habita fuerit copula; licet enim aliqui velint tunc prævalere secunda Sponsalia (quomodo res uni vendita & non tradita, si alteri postea vendatur & tradatur, secundo debetur, non primo, & quomodo si quis emiserit votum castitatis, & postea sub promissione Matrimonii virginem defloraverit, tenetur illam ducere), probabilius tamen tunc etiam valent prima Sponsalia; nam semper secunda sunt de re illicita, unde sunt invalida, nec deflorans tenetur ducere secundam ex vi præcise copulæ, quia hoc non potest facere nisi cum injuria primæ, quæ non debet pati damnum ex aliena iniquitate. Nec subsistunt paritates adductæ; nam ideo prævalet secunda venditio, quia cum traditio fiat per verum contractum, hinc perficit secundam venditionem, quæ proinde prævalet primæ non ita completæ: at traditio corporis, quæ fit per copulam nec fit per verum contractum, nec complet secunda Sponsalia, quæ, ut dixi, sunt invalida. Ergo &c. Votum autem in casu per se non cessat, sed petenda est dispensatio ad avertendum damnum proximi, unde etsi velimus stare paritatem, hæc ad summum probabit, quod teneatur vir curare, ut prior fœmina remittat jus, quod habet ad Matrimonium: & sicuti non obtenta dispensatione a voto non posset contrahere Matrimonium, ita nec in casu. Rursus etsi cessaret votum, hoc ideo cessaret, quia Deus censeretur misericorditer cedere juri, quod contra voventem acquisivit, ad vitandum damnum proximi: at prior fœmina non censetur cedere juri, quod habet in promittentem, ob damnum secundæ. Ergo &c. Si tamen primæ leve solum incommodum obveniat ex non executione Sponsalium, secundæ obveniat grave, quod aliter evitari non possit, docet Sanchez primam ex charitate teneri cedere juri suo.

Ulterius Sponsalia debent esse promissio de futuro Matrimonio, & quidem licito pro tempore, quo est contrahendum, alias Sponsalia utpote

te

te de re illicita erunt invalida. Quo loco ad meliorem intelligentiam sic distinguere præstat. Cum est aliqua in Sponsalibus illicitudo, vel hæc se tenet tantum penes actum promittendi, vel etiam penes rem promissam. Primum habebitur, cum executio promissionis nullum includit absurdum, sed solum includit ipsa promissio, ut si vir ad extorquendam a fœmina copulam promittat illi Matrimonium; tunc enim objectum promissionis, ut patet, est licitum, sed est illicitus actus promittendi, utpote vitiatus pravo fine: secundum habebitur, cum præterea etiam executio promissionis est illicita, ut si filiusfamilias promittat fœminæ Matrimonium cessurum in magnum dedecus familiæ; tunc enim executio promissionis, ut patet, vitiata est. In primo casu Sponsalia quamvis illicita sunt valida, quia nihil est, unde invalidentur. In secundo subdistinguendum: vel ita est illicita executio, ut in nullo casu possit cohonestari, ut esset executio Matrimonii inter patrem & filiam, & tunc promissio est semper invalida: vel est quidem illicita in aliqua circumstantia, sed in alia potest evadere licita, ut esset executio Matrimonii inter laborantes impedimento temporali, quale esset votum castitatis ad tempus, quod quidem Matrimonium subsistente impedimento est illicitum, sublato est licitum, & tunc si promissio respiciat tempus, quo ablatum erit impedimentum, ipsa subsistit, secus, si secus.

Ad valide contrahenda Sponsalia requiritur septennium, (*a*) dummodo tamen contrahentes tunc polleant usu rationis: quod si antea etiam polleant, valida erunt Sponsalia, quia jura statuentia dictam ætatem procedunt ex præsumptione, quod ante illam non habeatur usus rationis.

Si

(a) *Cap.* Litteras & *Cap.* accessit *de desponsat. impuberum.*

Si ergo habeatur, cum præsumptio cedat veritati, debent tunc valere Sponsalia. Non possunt autem impuberes, quamdiu tales sunt, a Sponsalibus resilire (*a*) etiam ex mutuo consensu, quod statutum est, ne incostantia ætatis puerilis illos subjiciat perpetuis mutationibus. Postquam autem ad pubertatem pervenerint, potest alterutr, sive uterque reclamare, dummodo statim reclament, quod intelligitur pro externo juxta Sanchez intra 3. dies, pro interno autem statim, ac advertunt se promisisse, & pervenisse ad pubertatem, & posse resilire, si velint. Dixi *statim*; nam si statim modo explicato non reclament, censentur ratificasse Sponsalia, unde non poterunt amplius resilire. Potentiam autem hanc resiliendi adepta pubertate habent, etsi Sponsalia sint jurata; nam juramentum adjectum contractui sortitur leges ejusdem contractus. Si vero impuberes ante pubertatem se carnaliter cognoscant, non possunt amplius; nam qui potest habere copulam, non consideratur amplius ut impubes.

Non requiritur ad validitatem Sponsalium præsentia Parochi & testium, imo nulla requiritur solemnitas, quamvis præstet aliquam adhibere, ut facilius illa probari possint.

Prohibitum est (*b*), ne Sponsalibus pœna apponatur vel luenda a Sponsis, si resiliant, vel ab illorum consanguineis, cum timeri potest, ne Sponsi Matrimonium ineant ad seipsos, vel consanguineos eximendos a pœna luenda. Probabile tamen est non posse quidem hanc pœnam apponi pro casu, quo rationabiliter a Sponsalibus resiliant, sed apponi posse pro casu, quo resiliant injuste; nam causa hujus prohibitionis est, ne impediatur Matrimonii libertas: cum autem supponitur Spon-

sum

(a) *Cap.* de illis *de desp impuberum.*
(b) *Cap.* Gemma *de Sponsalib.*

sum resilientem injuste resilire, non adest hæc libertas, cum ipse possit ad contrahendum etiam per Judicem compelli. Ergo &c. Quod confirmatur; nam possunt in Sponsalibus exhiberi Arrhæ (quo nomine veniunt quæ dantur veluti in pignus futuri Matrimonii), ita ut non contracto Matrimonio ex culpa unius, Arrhæ ab illo amittantur. Quid autem desit in hoc casu ad veram pœnam, non satis apparet. Ergo &c. Sed jam de causis resiliendi a Sponsalibus.

ARTICULUS SECUNDUS.

I. Causa est mutuus Sponsorum consensus, idque ob eandem rationem, qua alii contractus ordinarie mutuo contrahentium consensu dissolvi possunt.

II. Est fornicatio alterius Sponsi; in casu enim innocens habet jus a Sponsalibus resiliendi. Idem valet, si Sponsa admittat tactus turpes &c. quamvis multi contendant quod, si hæc admittat Sponsus, non possit resilere Sponsa, quia ex his actibus maxime vilescit Sponsa, secus Sponsus (nisi tamen frequenter hic tales actus haberet). Idem probabilius dicendum, si Sponsa per vim fuisset cognita; esset enim tunc causa justa dissolvendi Sponsalia notabilis mutatio in ipsa facta. Quod si uterque fornicetur, quamvis aliqui dicant tunc neutri licere resilire, quia compensantur delicta, alii tamen volunt id licere soli viro, quia fornicatio multo majus affert mulieri inconveniens, quam viro.

III. Est longa absentia alterutrius ex Sponsis: hac enim posita qui remansit potest recurrere ad Ordinarium, qui absenti præfigat tempus ad redeundum, & hoc elapso, si non redeat prior est liber.

IV. Est elapsus temporis contrahendo Matrimonio præfixus. Ubi noto dupliciter posse apponi tempus, nimirum & ad sollicitandam, sive non differendam obligationem, ita ut ante illud mora

non

non sit culpabilis, sit vero post illud, & ita apponitur, si dicatur: ***non differam te ducere ultra annum***: & ad finiendam obligationem, ita ut ante illud sit hæc obligatio, cesset vero post illud, & ita apponitur si dicatur: ***ducam te intra annum, ita ut hoc elapso sim a promissione exemptus***. In hoc secundo casu elapso tempore cessat obligatio Sponsalium ex parte illius, per quem non stetit, ut Matrimonium statuto tempore contraheretur, ut patet, non vero cessat ex parte alterius, si ipse culpabiliter differat; non enm debet reportare commodum ex propria iniquitate: secus si & iste differat inculpabiliter. In primo vero casu, si mora sit inculpabilis, non dissolvuntur Sponsalia, nisi mora sit nimis diuturna, quo casu qui non est in mora, potest resilere. Si vero mora est culpabilis, postquam morosus monitus fuit, & non stetit promissis, alter est liber, morosus vero adhuc tenetur. Quod si non fuerit appositum tempus, tunc solum tenentur Sponsi inire Matrimonium, cum una pars rationabiliter petit.

V. Est professio Religiosa; nam hæc ex dictis dirimit Matrimonium ratum. Ergo a fortiora Sponsalia. Idem valet de votis simplicibus in Societate Jesu: idem de voto Religiosæ Professionis; nam post illud Matrimonium est illicitum. Utrum autem dirimantur Sponsalia per simplicem ingressum in Religionem, controvertitur. Probabilius est illa posse dissolvi ex parte manentis in sæculo; nam notabilis mutatio facta est in altero sponso, cum durum communiter censeatur conjungi in Matrimonio cum illo, qui fuit Monachus. Ex parte vero ingredientis Religionem nulla est ratio dicendi ea dissolvi. Ubi noto, quod qui a fœmina copulam extorsit sub promissione Matrimonii, nequit amplius Religionem ingredi, vel vovere, quia cum fœmina præstiterit, quod erat conventum, tenetur & ipse præstare quod promisit (quod idem valet de voto castitatis). Nec potest hic post contractum cum tali

li fœmina Matrimonium ante conſummationem ipſam Religionem ingredi; nam promiſsio de Matrimonio in casu facta communiter intelligitur de Matrimonio perseverante.

VI. Est ſusceptio Ordinis ſacri; nam hic reddit hominem inhabilem ad Matrimonium. Quoad votum ſuscipiendi Ordinem controvertitur pro caſu, quo ſubſequatur Sponſalia. (Dixi *pro casu &c.* si enim antecederet Sponſalia, certum est hæc per illud irritari; tunc enim ſunt promiſsio rei illicitæ.) Docent plures per illud votum non irritari Sponſalia, quia est votum de re illicita, cum Sponſis permittatur quidem ingressus in Religionem, non vero ſusceptio Ordinis ſacri. At alii plures putant irritari, quia in Sponſalibus ſubintelligitur hæc conditio: *niſi perfectiorem vitæ statum voluero amplecti*, qualis est, qui provenit ex ſusceptione Ordinis ſacri. Et hæc quidem ſecunda ſententia mihi videtur probabilior. Quod dixi de voto ſuscipiendi Ordines, valet etiam de voto castitatis.

VII. Juxta aliquos est Matrimonium cum altero contractum; tunc enim docent extingui prima Sponſalia, ita ut etiam mortuo conjuge non teneatur, qui alium duxit, accipere illum, cum quo prius Sponſalia inierat. Sed alii probabilius docent tunc ſolum prima Sponſalia ſopiri, ita ut mortuo ſecundo conjuge denuo reviviſcant, quomodo ſi quis post votum castitatis nupſit, mortua uxore tenetur voto, adeoque alteram ducere nequit: & ratio est, quia non potuit extingui jus in priore Sponſo per injuriam ipſi illatam.

VIII. Sunt Sponſalia ſecunda inita contra prima; nam licet ipſa ſint irrita, qui tamen injuriam paſſus est, potest, ſi velit, a Sponſalibus reſilire, cum alter ipſi fidem fregerit, quod, ut patet, non militat pro illo, qui ſecunda Sponſalia contraxit.

IX. Est notabilis mutatio in alterutro ſponſo; hac enim poſita alter habet jus reſiliendi, cum non cenſeatur ſe obligaſſe in caſu notabilis

mu-

mutationis. Hæc autem esset E. G. gravis morbus permanens, ut si sponsus evasit cæcus, leprosus &c., vel etiam si contraxit notabilem sævitiem, aut incidit in paupertatem: & generatim cum accidit aliquid notabile, quod si præexisteret sponsalibus, hæc non contraherentur, jam contracta dissolvi possunt, quia in hoc contractu, qui non est perfectus, sed inchoatus, & initus non pro re accepta, sed accipienda, subintelligitur, ut dixi, hæc conditio: *nisi notabilis mutatio accidat*. Huc reduci potest impedimentum dirimens Matrimonium, quod impedimentum Sponsalibus contractis superveniat; hoc enim, cum invalidum reddat Matrimonium contrahendum, reddit etiam nulla Sponsalia de illo, ita tamen ut, si ex unius culpa impedimentum ortum sit, hic teneatur ad Matrimonium, cum altera pars obtinet dispensationem. Imo hanc prior probabiliter etiam tenetur procurare, si velit altera pars, & id possit sine notabili incommodo. Impedimenta autem tantum impedientia supervenient a sponsalibus juxta Sanchez illa non irritant, quia hæc Matrimonio obstant solum, cum res est adhuc integra, secus cum sponsalia præcesserunt.

X. Est nova notitia alicujus præexistentis sponsalibus, quod, si de novo advenisset post illa contracta, eorum dissolutioni locum dedisset juxta superius dicta; in jure enim paria sunt *supervenire & ignorata præcedere*.

XI. Est dispensatio Summi Pontificis; ut enim hic potest dispensare in Matrimonio rato, ita idem potest in sponsalibus.

XII. Est metus. Quo loco noto metum levem non irritare sponsalia; hic enim in jure non consideratur. Docet tamen Sanchez posse illum, qui talem metum passus est, a sponsalibus recedere. Nec illa irritat metus gravis juste incussus, ut si Judex defloratori sub indeterminatione pœnæ jubeat, ut promittat Matrimonium defloratæ. Nec irrita sunt sponsalia contracta ex metu gravi injuste incusso, si non sit incussus ad extorquenda

da ipsa sponsalia, ut essent sponsalia illius, qui videns se declinaturum sententiam Judicis injustam, si sponsalia ineat cum filia ejusdem Judicis, quamvis hoc illi a patre non proponatur, illa init; nam tunc ab alio ad ipsa non compellitur, sed ex se determinatur. Cum autem metus est gravis & injuste incussus, & ad extorquenda sponsalia, plures dicunt hæc non esse ipso jure irrita, sed posse etiam privata auctoritate irritari ad arbitrium ejus, qui metum passus est hanc illi Ecclesia facultatem tribuente ad salvandam Matrimonii libertatem. Sed probabilius alii contendunt hæc esse ipso jure invalida; nam tale ex dicendis est Matrimonium sic contractum. Ergo etiam sponsalia, quæ sunt viæ & dispositiones ad illud.

Cum causæ dissolvendi sponsalia sunt certæ de jure & de facto, hæc possunt per se dissolvi absque Judicis sententia, secus, si secus. Qui vero injuste detrectat sponsalia adimplere, potest absolute loquendo ad id compelli per Judicem Ecclesiasticum. Cæterum si timeantur ex coactione funesti exitus, præstat potius hortari sponsos ad Matrimonium, quam eos cogere.

CAPUT TERTIUM.

De impedimentis Matrimonii.

Afferam hic 1. quæ generaliter spectant ad varias species & vim horum impedimentorum: 2. agam specialiter de impedimentibus tantum: 3. de dirimentibus: 4. agam de dispensationibus ab his impedimentis.

ARTICULUS PRIMUS.

Impedimenta Matrimonii alia sunt de jure naturæ, alia de jure tantum Ecclesiastico. Prima sunt, quæ cum adsunt, prohibet naturalis ratio, ne contrahatur Matrimonium, ut est con-

sa n-

ſanguinitas inter patrem & filiam: alia ſunt, quæ cum adſunt, id prohibet tantum Eccleſia, ut eſt abſentia Parochi. Rurſus alia ſunt tantum impedientia Matrimonium, quibus ſcilicet poſitis Matrimonium valide quidem contrahitur, ſed illicite: alia ſunt etiam dirimentia, quibus ſcilicet poſitis etiam invalide contrahitur, quanquam ſi adveniant illo jam contracto, non invalident.

Poteſt Eccleſia conſtituere impedimenta pro Matrimonio, cum hoc eſſentialiter fundetur in contractu, & quælibet Reſpublica poſſit ſtatuere leges & conditiones pro contractibus. Ex quo patet Eccleſiam ſtatuentem talia impedimenta non opponere directe impedimenta Sacramento, ſed ſolum indirecte, quatenus impedit illius fundamentum, ideſt contractum. Quamvis vero Principes ſæculares per ſe videantur poſſe apponere impedimenta Matrimonio, ut eſt contractus civilis, Eccleſia tamen hoc ſibi reſervavit, ſtante ratione Sacramenti, quæ eſt in Matrimonio.

Contrahere cum aliquo impedimento eſt lethale, quod quidem, ſi loquamur de impedimentis, quæ ſunt de jure naturæ, valet reſpectu omnium: ſi vero loquamur de iis, quæ ſunt tantum de jure Eccleſiaſtico, valet (uti valent alia, quæ infra dicentur de impedimentis ab Eccleſia inductis) ſolum reſpectu baptizatorum; nam reſpectu aliorum auctoritatem non habet Eccleſia.

ARTICULUS SECUNDUS.

Impedimenta tantum impedientia ſunt I. Eccleſiæ prohibitio, quo nomine ſolum venit prohibitio vel Parochi, vel Epiſcopi, vel alterius Eccleſiaſtici Judicis facta alicui ad tempus ex rationabili cauſa ne Matrimonium contrahat.

II. Tempus feriarum, quod ex Tridentino (*a*) eſt a 1. Dominica Adventus uſque ad Epipha-

(a) *Seſſ.* 24. *Cap.* 10.

niam, & a feria 4. Cinerum usque ad octavam Paschæ inclusive. Hoc tamen tempore rigorose non prohibentur Matrimonia, sed tantum solemnitates nuptiarum, idest nuptiales benedictiones, (quo nomine venit vel integra Missa pro Sponsis, vel peculiares orationes, quæ in alia Missa, si forte prior non possit celebrari, pro illis recitantur) traductio Sponsæ ad domum Sponsi cum pompa & solemni comitatu, & convivia, choreæ, cantus, soni &c. cum magno apparatu. Alicubi tamen Matrimonia etiam insolemnia vel ex peculiaribus legibus, vel ex consuetudine sunt tempore feriarum prohibita, ut sunt apud nos, unde requiritur licentia Ordinarii.

III. Sponsalia cum uno contracta, quæ & ipsa impediunt Matrimonium cum quacunque alia, cum illicite tradatur uni, quod alteri promissum est.

IV. Votum castitatis non quidem solemne; nam hoc est impedimentum dirimens, sed votum simplex. Nedum autem peccat, qui ligatus hoc voto contrahit, sed etiam alter contrahens, si hoc noverit; cooperatur enim alterius peccato. Qui sic ligatus voto contrahit, licite non potest petere debitum, imo toties peccat, quoties petit, quia semper voto obligatur: potest tamen & debet reddere, quia non debet alius fraudari jure suo. Quod dixi de voto castitatis, valet a fortiori de voto virginitatis, nisi quod ligatus hoc voto peccat quidem prima vice petendo, sed habita semel copula non amplius peccat, quia virginitas jam est reddita impossibilis. Hoc etiam valet de voto ingrediendi Religionem: quo tamen voto si quis ligatus Matrimonium contrahat, peccat in prima copula, si eam petat, & etiam si reddat intra bimestre a contracto Matrimonio, quia ex una parte per ipsam fit ineptus ad implendum votum, cum Matrimonium tunc evadat indissolubile, ex alia ipse ad sic petendum, vel reddendum non tenetur. Post primam autem copulam licite denuo petit, & reddit, quia votum

jam

jam evasit impossibilis executionis: sicuti elapso bimestri licite etiam reddit primam copulam, quia ad eam tenetur. Quod dixi de voto ingrediendi Religionem, intelligatur etiam de voto suscipiendi Ordines sacros. Pariter quod dixi de singulis istis votis, dicatur etiam de juramentis circa eadem objecta versantibus.

V. Omissio proclamationum; statuit namque Tridentinum, (a) ut *antequam Matrimonium contrahatur, ter a proprio Parocho contrahentium tribus diebus festivis continuis in Ecclesia inter Missarum solemnia publice denuncietur inter quos sit Matrimonium contrahendum*: & hoc ad cognoscendum, utrum inter conjungendos in Matrimonium sit aliquod impedimentum. Si ergo omissis his proclamationibus Matrimonium contrahatur, peccant & quidem graviter tum ipsi contrahentes, tum Parochus Matrimonio assistens. Debent fieri hæ proclamationes tribus diebus festivis continuatis, non ita quidem ut nullus inter eos intercedat dies, sed ut nullum aliud intercedat festum. Inter hos dies potest etiam numerari dies aliquis absolute non festivus, si tamen sit peculiariter festivus in Parœcia, in qua fiunt proclamationes, vel ad eam concurrat magna populi frequentia.

ARTICULUS TERTIUS.

Impedimenta dirimentia a Theologis his versiculis comprehenduntur.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si forte coire nequibis,

(a) *Sess.* 24. *cap.* 1. *de Reformat.*

Raptave sit mulier, nec parti reddita tuta,
Si Parochi, & duplicis desit præsentia testis:

Error tunc est impedimentum dirimens Matrimonium, cum versatur vel circa substantiam contractus, ut si vir contrahat Matrimonium putans se contrahere tantum Sponsalia, vel circa materiam contractus, idest circa personam, quæ ducitur, ut si vir contrahat cum Berta putans se contrahere cum Caja: vel circa qualitatem assumptam per modum conditionis, sine qua non, ut si vir contrahat cum fœmina, quam falso putat divitem, absolute nolens contrahere, si vere dives non sit. Ratio omnium est, quia in his casibus non habetur verus consensus, unde hoc impedimentum est de jure naturæ.

Ad hunc locum pertinet error conditionis servilis ignoratæ, qui constituit secundum impedimentum expressum per illud *conditio*, scilicet cum liber vel libera contrahit cum servo vel serva ignorando ipsius conditionem servilem, irritum est Matrimonium: quod ab Ecclesia (*a*) statutum est, ne si conjux servus separatur per potestatem dominativam a libero, adsit involuntarium periculum incontinentiæ. Ubi noto valere Matrimonium inter duos servos, & inter servam & liberum, si liber sciat alterius servitutem (*b*).

Tertium impedimentum est ***votum solemne castitatis*** primo in professione Religiosa, quod & dirimit Matrimonium valide contractum, dummodo non consummatum, ut supra dixi, & dirimit contrahendum, ut definitum est in Tridentino (*c*): secundo in susceptione Ordinis sacri, quod

---

(a) *Cap.* Si quis ingenuus *causa* 29. *quæst.* 11. *& cap.* 2. *& ult. de conjug. servor.*
(b) *Ibidem.*
(c) *Sess.* 24. *can.* 9.

quod quidem dirimit Matrimonium contrahendum, sed non contractum. Votum solemne dirimit Matrimonium contrahendum jure tantum Ecclesiastico; nam inter votum solemne & simplex nulla est differentia nisi ex iure Ecclesiastico. Cum ergo hoc non dirimat Matrimonium, si dirimit illud, dirimit tantum ex jure Ecclesiastico. Ad hoc impedimentum revocari potest sacer Ordo; nam & ipse ex Tridentino (*a*) dirimit Matrimonium contrahendum, quamvis non dirimat contractum.

Sequitur impedimentum *cognationis*, de quo agendo ob connexionem materiæ agam etiam de affinitate. Triplex est cognatio spectans ad hoc impedimentum, *carnalis*, *spiritualis*, *& legalis*. Carnalis subdividitur; nam alia est *consanguinitatis*, alia *affinitatis*. Prima est vinculum personarum venientium ab eodem proximo principio seu stipite per carnalem generationem. Dixi *ab eodem proximo &c.*; non enim dicuntur consanguinei, qui descendunt a principio valde remoto, alias omnes homines essent consaguinei, cum omnes descendant a Noe & Adam. In hac cognatione tres lineæ distinguuntur, *recta*, quæ constat ex personis, quarum una ab altera descendit, *transversa æqualis*, quæ constat ex personis, quarum una ab altera non descendit, sed omnes tamen descendunt ab eodem stipite, & quidem ita ut æqualiter ab illo distent; & *transversa inæqualis*, quæ constat ex personis, quarum una ab altera non descendit, sed omnes descendunt ex communi stipite, ita ut inæqualiter ab illo distent. In his lineis plures numerantur gradus, quo nomine intelligitur distantia unius personæ ab alia, & hi gradus ita computantur, ut in li-

(a) *Sess.* 24. *can.* 9.

nea recta tot sint gradus, quot personæ una dempta, in transversa æquali tot gradibus personæ distent inter se, quot gradibus distant a stipite, in transversa inæquali tot gradibus personæ a se distent, quot gradibus remotior distat a stipite. Hæc omnia non melius, quam sub oculos ponendo & explicando sequens schema intelligentur. Sit ergo

P E T R U S

PAULUS	LUCIA
JACOBUS	ANNA.
JOANNES	CATHARINA
THOMAS	ELISABETH.

Fingamus Petrum esse patrem Pauli & Luciæ, Paulum vero esse patrem Jacobi, Jacobum Joannis, Joannem Thomæ: & pariter Luciam esse matrem Annæ, Annam Catharinæ, Catharinam Elisabeth.

His positis duæ erunt lineæ rectæ, altera comprehendet omnes viros simul cum Petro, altera omnes fœminas simul cum Petro. In prima linea Petrus erit conjunctus cum Paulo in primo, cum Jacobo in secundo, cum Joanne in tertio, cum Thoma in quarto gradu consanguinitatis. Quod idem proportionaliter dicatur de alia linea. Et quidem si personas numeremus a patre ad filios, dicuntur gradus lineæ rectæ *descendentium*, si a filiis ad patrem, *ascendentium*.

In linea laterali æquali Paulus erit in primo gradu cum Lucia, Jacobus in secundo cum Anna, Joannes in tertio cum Catharina, Thomas in quarto cum Elisabeth. In linea tandem laterali inæquali Paulus est in secundo gradu cum Anna, in tertio cum Catharina, in quarto cum Elisabeth: sicque e contra Lucia est in secundo cum Jacobo, in tertio cum Joanne, in quarto cum Thoma, & sic de aliis.

Cognatio affinitatis est vinculum personarum, quarum una cum consanguinea alterius habuit copulam perfectam. Circa quod nota virum & fœ-

fœminam habentes hanc copulam non contrahere inter se cognationem, sed tantum fieri unam carnem; nec illam contrahere consanguineos viri cum consanguineis fœminæ. Cognatio ergo hæc oritur inter virum habentem copulam, & consanguineos fœminæ, ita ut in eo gradu sit ad hos consanguineos, in quo gradu isti sunt cum fœmina, quod idem de fœmina relate ad consanguineos viri dicendum est. Sit ergo E. G. Sempronius, qui habeat copulam perfectam cum Lucia pertinente ad supra positum schema, tunc iste evadit affinis in primo gradu cum Anna, quia hæc est in primo gradu consanguinea Luciæ, in secundo gradu cum Catharina, quia hæc in secundo gradu est Luciæ consanguinea, & sic de reliquis.

Cognatio spiritualis est vinculum personarum ortum ex Sacramento Baptismi vel Confirmationis, quæ quidem cognatio alia est *paternitatis*, alia *compaternitatis*. Primam contrahunt parentes spirituales baptizati vel confirmati cum ipso baptizato vel confirmato (parentes autem spirituales sunt baptizans vel confirmans, ac patrini & matrinæ): secundam contrahunt hi parentes spirituales cum parentibus carnalibus baptizati vel confirmati.

Cognatio legalis est vinculum personarum ortum ex perfecta adoptione. Dicitur autem haberi perfecta adoptio, cum homo sui juris auctoritate Principis in alterum patriam potestatem familiamque transfertur, ut instar ejus legitimi filii per omnia esse incipiat. Triplex est hæc cognatio: *paternitatis*, quæ contrahitur ab adoptante cum adoptato ejusque descendentibus usque ad quartum gradum, qui tempore adoptionis erant sub patria potestate ejusdem adoptati: *fraternitatis*, quæ contrahitur ab adoptato cum filiis adoptantis, qui sunt sub illius patria potestate tempore adoptionis: & *affinitatis*, quæ contrahitur ab adoptante cum uxore adoptati, & e contra. Ubi noto primam & tertiam ex his cognationibus per-

petuas esse, unde etiam soluta adoptione perseverant, secus vero secunda, quæ solvitur soluta adoptione vel sublata patria potestate adoptantis.

Cognatio ergo consanguinitatis est impedimentum dirimens solum usque ad quartum gradum inclusive in quacumque linea. Certum est apud omnes primum gradum lineæ rectæ, & probabilissimum est etiam secundum ejusdem, & primum lineæ transversæ dirimere Matrimonium de jure naturæ, quamvis hic postremus non dirimat jure naturali primario, sed secundario & dispensabili a Deo, ut de facto fuit dispensatum initio Mundi, ut filii & filiæ Adami, idest fratres & sorores conjungerentur. Alii gradus dirimunt tantum de jure Ecclesiastico. Ubi noto quod, si Infideles contraxerint in gradibus ab Ecclesia prohibitis, non idcirco, cum convertuntur, solvitur illorum Matrimonium, quia cum ab initio fuerit validum, tale etiam perseverat, cum convertuntur.

Cognatio affinitatis orta ex copula licita scilicet maritali dirimit Matrimonium usque ad quartum gradum inclusive, (*a*): orta vero ex copula illicita solum usque ad secundum gradum inclusive (*b*). Hoc impedimentum est tantum de jure Ecclesiastico. Noto autem quod, si post contractum valide Matrimonium conjux contrahat affinitatem cum altero conjuge in gradibus supra expressis, qui est in culpa, privatur jure petendi debitum, secus vero innocens.

Cognatio spiritualis dirimit Matrimonium in omnibus gradibus supra expressis (*c*). Ubi noto quod, si conjux baptizet propriam prolem, aut exerceat munus patrini ejusdem prolis in Baptismo

(a) *Cap.* non debet *de consagu.*
(b) *Trid. Sess.* 24. *de Reform. cap.* 4.
(c) *Trid. Sess.* 24. *de Reform. cap.* 2.

mo solemni, aut in Confirmatione, contrahit cognationem spiritualem cum conjuge, ob quam privatur jure petendi debitum: conjux autem baptizans propriam prolem in necessitate non privatur hoc jure, sicuti non privatur, cum exercet munus patrini in Baptismo insolemni, aut illud exercet sine intentione illum exercendi, aut cum errore facti circa personam, puta existimando puerum, quem tenet, non esse suum filium, & nollens illum tenere, si sciret.

Cognatio tandem legalis dirimit Matrimonium in omnibus gradibus supra expressis, ut statutum est partim in jure Canonico, partim in jure Civili approbato quoad hoc ab Ecclesia. Impedimenta orta ex cognatione legali & spirituali non sunt, ut patet, de jure naturæ.

Ad impedimentum modo *criminis* venio. Quatuor sunt crimina constituentia hoc impedimentum, quibus possumus etiam addere quintum expressum illo versiculo: *raptave sit mulier, nec parti reddita tutæ*. Primum est *uxoricidium sive viricidium effectu secuto, & utroque scilicet viro & fœmina conspirante ad finem contrahendi inter se Matrimonium* (a); hoc enim casu non possunt hi duo inter se contrahere: quod idem valet si ex duobus conspirantes alter sit infidelis. Secundum est *homicidium cum adulterio* (b) (subintellige consummato, & utrinque formali). Si ergo E. G. vir adulterium commiserit, & propriam uxorem occiderit ad ducendam adulteram, etsi nulla fuerit inter ipsos conspiratio, contrahit impedimentum dirimens respectu ejusdem adulteræ. Tertium est *adulterium cum promissione Matrimonii* (c). Qui ergo adulterium consummatum, & utrin-

O 5

(a) *Cap.* Si quis vivente *causa* 31. *quæst.* 1. & *Cap.* laudabilem de convers. infidel.

(b) *Cap.* super hoc, & *cap.* significavit nobis.

(c) *Cap.* relatum, & *cap.* propositum.

utrinque formale commisit, & promisit Matrimonium adulteræ promissionem acceptanti, mortua uxore vel viceversa, dummodo cum adulterium commissum est, non fuerit retractata promissio, habet impedimentum dirimens Matrimonium cum illo vel illa. Quartum est (*a*) *adulterium solum cum Matrimonio attentato per verba de præsenti ;* ita enim attentans habet impedimentum dirimens cum illa, cum qua Matrimonium attentatur etiam mortua prima uxore. His criminibus addo *raptum fœminæ invitæ & abductionem de uno loco in alium ad finem contrahendi cum illa Matrimonium*, quod impedimentum exprimitur illo versiculo *raptave sit mulier &c.*; decernit enim Tridentinum (*b*), ut quandiu non est restituta fœmina in loco tuto, ubi sit libera ad consentiendum vel dissentiendum, nullum sit Matrimonium, subjiciens raptorem & illi faventes excommunicationi, infamiæ &c. Crimina jam dicta sunt impedimenta tantum de jure Ecclesiastico.

Est etiam impedimentum *disparitas cultus*, quod ita explicatur, ut irritum sit Matrimonium inter baptizatum, & non baptizatum, & hoc ex jure tantum Ecclesiastico, eoque non scripto, sed tradito per consuetudinem, quam multi dicunt Apostolicam. Matrimonia autem inter fidelem baptizatum, & baptizatum hæreticum valida sunt, cum nullibi irritentur, quamvis illicita, nisi obstet consuetudo, ut obstat aliquibus in locis, in quibus Catholici vivunt mixti Hæreticis.

Sequitur *vis*, quo nomine communiter intelligitur metus. Hic ergo est impedimentum, *si sit gravis* vel absolute, vel respective ad conditionem personæ metuentis*: si sit injuste incussus*, ab eo videlicet, qui nullum habet jus incu-

---

(a) *Cap.* ex litterarum, *cap.* significasti, & *cap.* si quis *de eo qui duxit*.

(b) *Sess.* 24. *de Reform. cap.* 6.

cutiendi: & *si incussus sit directe ad extorquendum consensum matrimonialem* (a). Hoc impedimentum est tantum de jure Ecclesiastico.

Nomine *ligaminis* venit Matrimonium prius valide contractum cum alia, quo subsistente invalidum est quodcumque aliud Matrimonium. Hoc impedimentum est de jure Ecclesiastico, & etiam de jure naturali divino, ut ostensum est, cum ageretur de Poligamia.

Nomine *honestatis* intelligitur impedimentum ex propinquitate orta vel ob Sponsalia valida, vel ob Matrimonium ratum, etsi invalidum, dummodo non invalidum ex defectu consensus. Qui ergo Sponsalia olim valide cum una contraxit, etsi postea haec vel per mortem Sponsae, vel per mutuum consensum sint soluta, non potest amplius contrahere Matrimonium cum consanguineis ejusdem in primo gradu, & viceversa ex Tridentino (*b*) coarctante ad primum gradum hoc impedimentum, quod antiquitus extendebatur ad quartum. Pariter qui contraxit Matrimonium ratum cum una, & viceversa, non potest amplius contrahere Matrimonium cum consanguineis ipsius usque ad quartum gradum inclusive: quod extenditur etiam ad Matrimonium invalide contractum, dummodo non fuerit invalidum ex defectu consensus, quale esset E. G. contractum cum errore circa personam. Hoc impedimentum quoad Matrimonium est de jure Ecclesiastico antiquo (*c*), & cum Tridentinum, quod limitavit, ut dixi, impedimentum ortum ex Sponsalibus, nihil statuerit circa illud, ut oritur ex Matrimonio, durat adhuc, ut etiam expresse declaravit Pius V,

O 6 Di-

(a) *Cap.* cum locum. *Cap.* veniens &c

(b) *Sess.* 24. *cap.* 3. *de Reform. Matrim.*

(c) *Cap.* si quis desponsaverit, *& cap.* Qui desponsatam.

(*a*). Dixi *qui contraxit Matrimonium ratum;* qui enim etiam consummavit, aliud impedimentum respectu consanguineorum conjugis contraxit, nimirum affinitatem, de qua supra. Hoc impedimentum dicitur etiam *impedimentum publicæ honestatis*, quia videtur aliquo modo injustum & inhonestum, ut qui vel Sponsalia vel Matrimonium contraxit cum una, alicui postea istius consanguineæ jungatur. Hoc pariter impedimentum per omnes est de jure tantum Ecclesiastico.

Agendum modo de impedimento impotentiæ expresso his verbis: *si forte coire nequibis*. Hoc impedimento intelligitur impotentia ad complendam copulam conjugalem. Cum autem impotentia hæc alia sit absoluta, quæ impedit copulam cum quocumque vel quacumque, alia respectiva, quæ impedit copulam cum tali solum vel tali persona, rursus alia sit perpetua, quæ scilicet physice auferri nunquam potest, vel non potest auferri sine magno periculo vitæ, alia temporalis, quæ scilicet auferri potest, & sine magno vitæ periculo; impotentia perpetua absoluta est impedimentum dirimens quodcumque Matrimonium, & perpetua respectiva est dirimens Matrimonium cum illo, relate ad quem habetur impotentia (*b*). Imo hoc impedimentum est de jure naturæ, quia est inhabilitas ad id, ad quod primario tendit Matrimonium. Et idcirco Sixtus V. declaravit invalida Matrimonia Eunuchorum. Impotentia vero temporalis ex communi non dirimit. Si dubitetur, utrum impotentia sit perpetua vel temporalis, & Matrimonium sit jam bona fide contractum, possunt (*c*) conjuges per triennium tentare copulam

(a) *Declarat. incip.* ad Romanum spectat.
(b) *Tot. titulo de frigid. & malefic.*
(c) *Ex Cap.* laudabilem *de frigid. & malefic.*

lam ad se certiorandum, utrum impotentia sit perpetua, an temporalis. Cum autem impotentia certa supervenit Matrimonio contracto, licet hoc non dissolvatur, redditur tamen illicita tentatio copulæ. Sterilitas non pertinet ad hoc impedimentum, cum non sit inhabilitas ad complendam copulam, sed solum ad generandum ex illa. Ad impedimentum impotentiæ reducitur defectus ætatis non pertingentis scilicet ad pubertatem; pueri enim tunc censentur incapaces complendi copulam, & ideo in jure declarantur irrita Matrimonia masculorum ante annum 14. completum, & fœminarum ante 12. completum, nisi forte malitia suppleat ætatem, idest habeant ante jam dictam ætatem cognitionem sufficientem, & potentiam ad generandum.

Postremum impedimentum est *clandestinitas*, quod exprimitur ultimo versiculo*: Si Parochi & duplicis desit præsentia testis*. Ante Tridentinum Matrimonia contracta sine Parocho & testibus erant quidem prohibita, sed valida. Ad vitanda autem inconvenientia, quæ ex talibus clandestinis Matrimoniis oriebantur Tridentinum (*a*) decrevit, ut etiam essent invalida.

Cum autem Concilium velit, ut decretum tale impedimentum respiciens vim non habeat, nisi post 30. dies a prima die publicationis in Paræcia, hinc in aliis Paræciis, quibus Tridentinum quoad hoc non est publicatum, hoc impedimentum non viget. Qui ergo pertinent ad has Paræcias, possunt ibi Matrimonium valide contrahere sine Parocho & testibus. An autem qui pertinent ad Paræcias, in quibus promulgatum est Tridentini decretum, possint in aliis Paræciis, in quibus hoc promulgatum non est, contrahere sine Parocho & testibus, solutio magna ex parte de-

(a) *Sess.* 24, *cap.* 1. *de Reform.*

dependet ex responsione Sacræ Congregationis confirmata ab Urbano VIII. ad tria quæsita proposita ab Archiepiscopo Coloniensi, quorum primum erat: *an incolæ locorum, in quibus promulgatum est Tridentinum in puncto Matrimonii, transeuntes per locum, in quo non est promulgatum, retinentes idem domicilium possint valide in isto loco sine Parocho & testibus contrahere:* secundum: *quid si eo jam dicti se transferant solo animo sic contrahendi, habitationem non mutantes:* tertium: *quid si eo jam dicti tali dumtaxat animo se transferant, eo pariter transferendo habitationem.* Responsum autem est *ad primum & secundum non esse legitimum Matrimonium inter sic se transferentes, ac transeuntes cum fraude: ad tertium vero Matrimonium esse validum, si domicilium vere transferatur.* Quoniam autem in primo & secundo casu fraudem considerat ipsa responsio, hinc communius censent Doctores, quod si jam dicti non ex fraude se transferant, sed ob alium finem, E. G ob negotium aliquod, valebit Matrimonium contractum sine Parocho & testibus ex generali regula, quod contractus pertinens ad forum externum sequitur naturam loci, in quo celebratur.

Parochus, cujus præsentia requiritur a Tridentino, est Parochus proprius contrahentium. Valide autem hic assistit, etsi non sit Sacerdos, & etiam valide deputat alium ad assistendum, dummodo Sacerdotem (*a*). Hunc etiam potest deputare Ordinarius, sicuti ipse potest Matrimonio assistere.

Advertendum præsentiam Parochi solum requiri in locis, in quibus Parochi sunt; ubi enim non sunt, ut apud Turcas, Persas &c., satis est, ut adhibeantur duo testes, & Matrimonium

(a) *Trid. Sess. 24. cap. 1. de Reform.*

nium contrahatur coram Magistratu civili, ut pluries respondit Sacra Congregatio: quod etiam dicendum ex alio capite, quia nimirum ubi non est publicatum Tridentinum. Docent quoque plures probabiliter esse valida Matrimonia sine præsentia Parochi etiam in locis, in quibus est promulgatum Tridentinum, si Parochus non possit conveniri sine magno periculo, ut si vitæ timeatur insidiæ quod confirmant multis declarationibus Sacræ Congregationis relatis a Gillemart (*a*).

Testes, qui debent assistere Matrimonio sufficit, si polleant usu rationis, & cognoscant quid fiat. Possunt ergo inservire etiam fœminæ, & etiam impuberes &c.: & ratio est, quia Tridentinum testes requirens solum in iis exigit usum rationis. Consultum tamen est non admittere fœminas, nec patrem aut matrem contrahentium. Debent autem testes esse omnes simul assistentes &c.

Sufficit si Parochus & testes cognoscant, quod fit a contrahentibus, etsi ad id inviti adducti sint. Et hinc valet E. G. Matrimonium contractum ab iis, qui non præmissis proclamationibus inopinato se sistunt coram Parocho & testibus idoneis, & præbent consensum sufficientem. Cæterum si Parochus tunc nequeat caute se subducere, debet sic volentes contrahere objurgare, illisque pœnas Ecclesiasticas interminare: quod si non proficiat, debet notare omnia, quæ fiunt, aut dicuntur a contrahentibus, & referre ad Ordinarium.

Si coram Parocho & testibus contractum jam sit Matrimonium invalide ob impedimentum occultum, dummodo tale sit etiam ipsi Parocho & testibus, & non sit periculum, ne illud detegatur, ac probetur in foro externo, sublato postea im-

---

(a) *Ad Trid. Sess.* 24.

impedimento non est necesse, ut consensus coram illis renovetur, quia obtentus est jam finis legis, ut constet in facie Ecclesiæ de validitate Matrimonii; hæc enim constat per primum consensum etsi nullum in se, si tamen sit datus in allatis circumstantiis: quod adeo verum est, ut si qui ita contraxerunt, vellent aliud inire Matrimonium, id Ecclesia impediret. Hoc autem modo videtur certum attento statuto sacræ Pœnitentiariæ ex Oraculo S. Pii V., & attento sensu Sacræ Congregationis (*a*).

ARTICULUS QUARTUS.

Certum est posse Episcopum dispensare in impedimentis impedientibus tantum excepto voto, & Sponsalibus. Certum pariter est, quod nec Papa dispensare potest in impedimentis, quæ sunt de jure naturæ. Potest autem Episcopus in aliquo casu urgentissimæ necessitatis dispensare in aliquo impedimento dirimente occulto pro foro conscientiæ, si Matrimonium sit bona fide saltem ab uno conjuge contractum; nam non est verisimile tunc Papam non consentire, ut Episcopus dispenset, cum, ut supponitur, agatur de vitando maximo damno spirituali vel temporali; & hoc idem probabilius Episcopo conceditur, etiamsi Matrimonium sit contrahendum. Potest enim Episcopus saltem ex consuetudine dispensare ad petendum & reddendum debitum cum conjugato, qui post Matrimonium validum contraxit impedimentum ad hanc petitionem vel redditionem.

In casibus autem, in quibus Episcopus non potest dispensare, cum Romam sit recurrendum, ideo præstat aliqua adnotare circa hunc recursum servanda.

Duo

(a) *Apud Navar. & Fagnanum.*

Duo Romæ ſunt Tribunalia pro concedendis his diſpenſationibus. Primum eſt ſacra Pœnitentiaria, ſecundum Dataria. Primum non diſpenſat niſi in impedimentis occultis & pro foro interno: ſecundum diſpenſat in impedimentis notoriis, & etiam pro foro externo. Omiſſis, quæ ſpectant ad diſpenſationes Datariæ, loquar tantum de ſpectantibus ad diſpenſationes Pœnitentiariæ, utpote quæ cum ſpectent directe ad forum internum, debent ſciri a Parochis & Confeſſariis.

Caſus ergo, in quibus Summus Pœnitentiarius diſpenſare poteſt, ex Bulla Benedicti XIV. incipien. *Paſtor bonus* (*a*) confirmativa & ampliativa alterius Bullæ Innocentii XII. incipien. *Romanus Pontifex* hi ſunt.

Primo poteſt diſpenſare ante contractum Matrimonium in impedimentis occultis impedientibus. (Quando vero agitur de voto caſtitatis, debet illud commutare in aliud opus cum facultate ducendi uxorem, ita tamen ut illa mortua qui duxit, ad caſtitatem teneatur, ut ſi contra hanc peccet, ſimul etiam peccet contra votum: de quibus diſpenſatus debet admoneri a Confeſſario). Loquendo de impedimentis dirimentibus non poteſt diſpenſare ſuper impedimento ex quovis gradu ſive conſanguinitatis, ſive affinitatis ex copula licita, ſive ex ſpirituali cognatione proveniente etiam in foro conſcientiæ tantum, tametſi impedimentum ſit occultum, & periculum ſcandalorum immineat.

Poſt Matrimonium contractum non poteſt diſpenſare in primo & ſecundo, ſed tantum ſecundo conſanguinitatis, vel affinitatis ex copula licita etiam in occultis, præterquam ſi in ſecundo tantum prædicto gradu impedimentum ſaltem per decemnium duraverit occultum, & Oratores ſimul

(a) *Tom. 1. Bullarii.*

mul publice contraxerint, & convixerint, & ut conjuges legitimi reputati fuerint. Poteſt diſpenſare in tertio & quarto gradibus occultis in Matrimoniis contractis, ac in iisdem tertio & quarto gradibus publicis revalidare Matrimonia nulliter contracta ex cauſa ſubreptionis vel obreptionis occultæ litterarum Apoſtolicarum, præterquam si falsitas conſiſtat in narratione præcedentis copulæ, quæ tamen antea non intercesserit. Quod si jam a Dataria obtenta fuerit diſpenſatio ſuper gradu prohibito in primo & ſecundo, vel in ſecundo tantum, ac etiam in tertio vel quarto non expreſſa copula ſequuta, quæ ſine honoris detrimento non poſſit detegi, & ratione hujus reticentiæ petatur diſpenſatio pro Matrimonio contrahendo vel revalidando, poteſt Pœnitentiarius illam concedere (si copula ſit adhuc secreta) pro foro conſcientiæ tantum; cum impoſitione tamen mulctæ pecuniariæ, si diſpenſatio ſit in primo & ſecundo, vel etiam in ſecundo tantum gradu.

Si Oratores obtenta diſpenſatione a Dataria ſuper impedimento primi & ſecundi gradus, ſive dumtaxat ſecundi conſanguinitatis vel affinitatis expreſſa quidem copula, ſed non expreſſa prava intentione habita obtinendi facilius per talem copulam diſpenſationem, & ratione hujuſmodi taciturnitatis petant diſpenſationem pro Matrimonio revalidando, poteſt Pœnitentiarius diſpenſare, cum onere tamen mulctæ pecuniariæ, niſi prior diſpenſatio fuiſſet expedita in forma pauperum; nam tunc etiam ſecunda deberet ſic expediri. Rurſus poteſt diſpenſare ſuper impedimento occulto affinitatis ex copula illicita ex rationabili cauſa, etſi periculum revelationis ſeu ſcandalorum non immineat, & hoc tamen in Matrimoniis contractis, quam in contrahendis. Rurſus poteſt diſpenſare ſuper occulto impedimento criminis adulterii, ſi fuerit cum fide data dumtaxat neutro machinante commiſſum, & hoc tam in Matrimoniis contractis, quam in contrahendis. Si vero hujuſmodi crimen fuiſſet utroque vel altero machinante

te patratum, potest in occultis dispensare, sed debet raro id facere, & solum ratione gravis alicujus imminentis periculi, quod debet examinari in Congregatione. Dictas dispensationes potest Summus Pœnitentiarius concedere, etsi gradus & impedimenta hujusmodi sint multiplicia quacumque & quantacumque multiplicitate: & in litteris hujusmodi dispensationum potest prolem, ubi opus sit, sive susceptam, sive suscipiendam, non tamen in adulterio conceptam decernere legitimam. Tandem potest dispensare in quolibet occulto impedimento ad petendum debitum.

Extra casus hic expressos desumptos fere ad litteram ex dictis Bullis, recurrendum erit vel ad Datariam vel immediate ad Summum Pontificem, vel etiam ad Summum Pœnitentiarium, qui potest a Papa obtinere extraordinarie facultatem illam, quam ordinarie non habet.

Cum igitur recurrendum est ad Summum Pœnitentiarium, exponitur factum cum omnibus suis circumstantiis non apposito nomine dispensandorum, sed illius loco appositis notis N. N. exprimitur quid petatur, & apponitur nomen illius, ad quem dirigi debet responsum Pœnitentiarii, nec non locus, ad quem debet dirigi.

In petitione aliqua debent exprimi vi regularum, quæ traduntur pro omnibus generaliter dispensationibus obtinendis, ne scilicet sint obreptitiæ vel subreptitiæ, de quibus regulis jam egi in tractatu de legibus: aliqua debent exprimi vi regularum particularium ad hunc casum spectantium, & de quibus modo est agendum.

I. Itaque si aliquis jam obtinuit dispensationem ab aliquo impedimento, & si velit novam dispensationem super eandem materiam obtinere, debet in secunda petitione exprimere priorem dispensationem obtentam, quia subinde in casu prioris dispensationis cognitio intrinsece pertinet ad cognitionem gratiæ, quam facit dispensans: & hoc etiam aliqui colligunt ex Cap. 2. *de filiis Presbyterorum* in 6. secus si dispensatio prius obtenta

fue-

fuerit in diversa materia ob contrariam rationem. II. Si quis actu laborat duplici impedimento dirimente, tenetur utrumque exprimere in dispensationis petitione, quin sufficiat prius ab uno deinde ab altero petere dispensationem, debet enim dispensans cognoscere quantitatem gratiæ, quam facit: est autem hæc multo major si a duobus simul impedimentis solvit, quam si prius ab uno, deinde ab altero. Hoc idem debet dici, si duo conjuncti sint duplici titulo in eodem vel diverso gradu; nam tunc licet ex parte subjecti, quod unum est, unica sit conjunctio, ex parte tamen objecti duplex est, adeoque intensior, consequenter exprimenda. III. Si duo distent inter se in gradibus inæqualibus, sufficit exprimere remotiorem, quia revera in tali gradu sunt conjuncti, (excepto casu, quo alter contrahentium a stipite distet in primo gradu; nam tunc ex Constitutione S. Pii V. etiam primus exprimendus est, & hoc quia non solet tunc dispensari). Quod si per errorem unus gradus exprimatur præ altero, valet dispensatio, si minus remotus expressus sit pro remotiore, secus si secus: nam in primo casu, cum dispensatio sit amplior, censetur includere minus amplam, contra in altero casu. IV. Si quis petat dispensationem ab impedimento consanguinitatis aut affinitatis, & habuerit copulam cum ea, quam optat ducere, copulam tenetur exprimere, ut etiam declaravit Sacra Congregatio apud Gallemart: & etiam ex dictis supra debet exprimi prava intentio facilius obtinendi dispensationem mediante copula, si talis intentio adfuerit. V. Si quis mala fide contrahat Matrimonium in gradu prohibito, aut omissis solemnitatibus, & interim Matrimonium consummet, debet postea in petitione dispensationis hæc omnia exprimere, alias nulla erit dispensatio, ut colligitur ex Tridentino (a).

Re-

(a) *Sess. 24. cap. 5. de Matrim.*

Rescripta Sacræ Pœnitentiariæ dirigi solent: *Discreto viro Confessori, magistro in Theologia, vel decretorum Doctori ex approbatis ab Ordinario*, vel simpliciter: *Discreto viro Confessario ex approbatis ab Ordinario*. Tunc autem non potest exequi dispensationem, nisi (pro primo casu) qui hic & nunc sit approbatus ad audiendas Confessiones in loco, ubi debet fieri dispensatio, & quidem sit approbatus pro tali sexu, cui concedenda est dispensatio: & sit laureatus in Theologia vel jure Canonico in aliqua publica Universitate, quin sufficiat gradus magisterii in Religione excepto speciali privilegio: pro secundo vero casu nihil aliud in exequente requiritur nisi actualis approbatio Ordinarii loci pro tali sexu &c. Quando qui obtinuit litteras Pœnitentiariæ, illas tradidit alicui Confessario habenti omnia requisita, ut illas exequatur, docet Marcus Paulus Leo vir in rebus ad Pœnitentiariam spectantibus versatissimus non posse hoc neglecto litteras ad alium pro executione transferre, nisi pro casu, quo prior executor ignoraret, quid agere deberet. Ille porro, cui dispensatio committitur, debet prius examinare a Pœnitente, non ab aliis, utrum exapte subsistant omnia in petitione narrata, & alias non procedere ad dispensationem. Cognita autem veritate procedat, solum tamen in actu sacramentalis Confessionis; nam in Rescripto apponitur clausula: *audita prius Sacramentali Confessione*, quæ quidem clausula ex Leone supra citato spectat ad valorem dispensationis. Debet insuper injungi pœnitentia pro delicto, ex quo oritur impedimentum, & quidem illa ipsa, quæ præscribitur in Rescripto, si præscribatur, secus juxta prudentiam Confessarii.

Solet apponi clausula: *dummodo impedimentum sit occultum*. Impedimentum autem esse occultum juxta Auctores peritos styli sacræ Pœnitentiariæ importat, quod vel nulli sit notum, vel tantum tribus quatuorve personis in oppido, septem vero aut octo in civitate. Quod si dicatur: *dum-*

dummodo impedimentum ſit omnino occultum, tunc videtur requiri, ut nullus id noverit niſi ipſe impeditus. Non autem ſufficit, ſi impedimentum ſit quidem occultum in loco, in quo exiſtit diſpenſandus, ſed alibi ſit publicum; nam tunc non dicitur ſimpliciter occultum, diceretur autem probabilius, ſi nunc quidem eſſet ubique occultum, quamvis antea publicum fuiſſet. Occultum pariter in terminis Penitentiariæ dici debet crimen, quod eſt materialiter publicum, ſi ſit formaliter occultum, ſi nempe conſtet quidem palam de actione, ſed communiter exiſtimetur illam non eſſe peccaminoſam, ut ſi vir occidiſſet maritum alterius fœminæ in terminis inductivis impedimenti criminis, ſed communiter exiſtimaretur illum occidiſſe cum moderamine inculpatæ tutelæ; tunc enim cum habeatur rigoroſa ignorantia facti, prout peccaminoſum eſt, jam crimen poteſt dici occultum. Secus eſſet dicendum, ſi publicum eſſet crimen etiam in ratione criminis, ſed tantum ignoraretur ex illo oriri impedimentum; tunc enim ignorantia eſſet juris non reddens occultum crimen. Tandem crimen dicitur occultum etiam quando, poſtquam deductum eſt ad forum contentioſum, ab eo reus declaratus eſt innocens, quamvis falſo; communiter enim tunc innocens judicatur.

Solet quoque apponi clauſula quod *diſpenſatio non proſit niſi pro foro interno*, quo poſito patet poſſe in foro externo procedi contra ſic diſpenſatos, ſed tunc poterit Confeſſarius executor ſecreto admonere Ordinarium de diſpenſatione obtenta. Solet apponi hæc alia *quod alius non obſtet*, & denotat nullam eſſe diſpenſationem, ſi aliud ſit impedimentum. Rurſus ſolet adjungi quod *literæ poſt executionem lacerentur*, hoc ſolet imponi ſub pœna excommunicationis. In aliquo tamen caſu clauſula hæc non apponitur, & tunc præcipue eſt, quando agitur de Matrimonio duorum concubinariorum impedimento dirimente laborantium, qui communiter creduntur conju-

ges; tunc enim cum illorum Matrimonium sit in libro notandum, quamvis caute, ut salva sit illorum fama, non apponitur dicta clausula, ut possit Parochus Rescriptum apud se retinere ad reddendam pro opportunitate rationem & illorum, quæ gessit, & validitatis ejusdem Matrimonii. Solet quoque, cum dispensatio est pro Matrimonio contracto, apponi clausula: *quod separatio non possit fieri absque scandalo*; si enim ita fieri posset separatio, deberet fieri.

Solet tandem apponi hæc alia: *certiorata parte de nullitate Matrimonii, sed ita caute, ut delictum alterius, ex quo impedimentum consurgit, non cognoscatur*, cujus quidem clausulæ executio magnam subinde secum affert difficultatem. Ad hanc evitandam docent aliqui clausula illa non importari conditionem necessariam: hæc autem opinio merito rejicitur; nam si pars non certioratur de nullitate Matrimonii, non potest præbere novum consensum ab errore immunem, qualem requirit dispensatio. Alii dicunt executionem clausulæ per hoc posse haberi, quod conscius impedimenti dicat parti ignaræ se dubitari aut suspicari de validitate Matrimonii, adeoque hortari illam ad renovandum consensum: sed hic modus non videtur sufficiens; nam tunc non certioratur pars de nullitate, sed tantum ei ingeritur suspicio, quæ cum sit diversa a certitudine, non videtur sufficiens ad satisfaciendum menti dispensantis. Alii dicunt posse partem consciam impedimenti interrogare alteram, utrum si Matrimonium non fuisse legitimum, ipsa denuo contraheret, & si hæc respondeat affirmative, hoc sufficere. Sed neque placet hic modus; nam sic pars non certioratur de nullitate Matrimonii. Alii docent in casu conjugem conscium impedimenti accedere posse ad partem ignaram, & habere cum illa copulam maritalem; eo enim ipso, quod hæc consentit in hanc copulam, videtur renovare consensum. Sed hæc via minus etiam aliis placet; nam primo nec sic certioratur pars,

&

& rursus vel copula est prior dispensatione, & tunc est vera fornicatio, vel est posterior, & tunc remanet inquirendum, quomodo possit esse valida quando dependet a conditione necessaria, quæ non est posita, sed tantum ponenda. Tutus ergo & expeditus est modus, quem communius assignant Auctores, ut scilicet pars impedimenti conscia dicat alteri parti se invalide consensisse, vel non consensisse, adeoque necessario renovandum esse consensum, quin aliud addat; nam sic & certioratur pars, & non manifestatur delictum, & verum asseritur; nam etsi ex animo prius consenserit, qui hoc dicit, ob impedimentum tamen tunc vigens consensus fuit invalidus, adeoque nullus. Quod si pars altera tunc renovet consensum, nihil ulterius requiretur.

Si autem timeatur, ne pars ignara impedimenti audita nullitate Matrimonii nolit renovare consensum, recurrendum erit denuo ad Summum Pœnitentiarium exponendo casum, & expectando ab illo regulam necessariam: aut si periculum sit in mora, recurrendum erit ad Ordinarium exponendo ipsi casum retectis semper nominibus dispensandorum.

Ubi etiam notandum quod, cum Confessarius ex Confessione pœnitentis cognoscit ipsum laborare impedimento dirimente, si pœnitens est in bona fide, & Matrimonium jam est contractum, & ita ipse pœnitens concorditer vivit cum conjuge, ut speretur post adventum dispensationis illos renovaturos consensum, & ex manifestatione impedimenti prudenter timeatur, ne oriantur scandala, aut quod pœnitens peccet formaliter habendo rem cum præsumpta conjuge, quando durante ignorantia peccatum esset tantum materiale; præstat ipsum relinquere in bona fide, & imponere illi, ut ad se redeat intra illos dies, qui sunt necessarii ad obtinendam dispensationem, interimque hanc dispensationem curare. Mutatis autem aliquibus ex supra dictis circumstantiis aliter se geret Confessarius, prout pruden-

denter judicaverit esse faciendum ad evitandum malum, aut si hoc evitari non possit, ad eligendum minus malum. Quod si pœnitens fuerit in mala fide absolute obligandus est ad abstinendum a copula. Obtenta dispensatione ea utantur modo super indicato.

Formula dispensationis hæc est: post impertitam absolutionem a peccatis, si Matrimonium est contrahendum, dispensans addat: *Et insuper auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata dispenso tecum super impedimento*, (& hic impedimentum exprimitur), *ut præfato impedimento non obstante Matrimonium cum dicta muliere publice servata forma Concilii Tridentini contrahere, comsummare, ac in eo remanere licite possis & valeas: In nomine Patris &c. Insuper eadem auctoritate Apostolica prolem, quam ex Matrimonio susceperis, legitimam fore nuncio & declaro: In nomine Patris &c.* Si vero Matrimonium sit contractum post absolutionem a peccatis addat: *Et insuper auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata dispenso tecum super impedimento* (exprimitur impedimentum), *ut eo non obstante Matrimonium consummare, ac in eo remanere licite possis: In nomine Patris &c. Et pariter eadem auctoritate Apostolica prolem, si quam suscepisti & susceperis, legitimam fore decerno, & declaro: In nomine Patris &c.*

Qui plura circa hæc optat, consulat Notificationem 20. Volum. 4. Benedicti XIV., ex qua fere omnia hic expressa delibavi.

Et hæc interim sufficiant pro hoc Tractatu de Sacramentis in specie, imo pro toto hoc Theologicarum institutionum curriculo. Quæcumque autem in iis dicta sunt, Sanctæ Matris Ecclesiæ judicio humillime submitto.

FINIS.

I N D E X

Eorum, quæ in hac secunda parte Tomi quarti continentur:

DISSERTATIO IV. *De Sacramento Pœnitentiæ.* Pag. 3.
CAP. I. *De Pœnitentia, ut est virtus.* ibid.
ART. I. *Explicatur natura virtutis Pœnitentiæ.* ibid.
ART. II. *De illius neceſſitate.* 6.
ART. III. *De præcipuo Pœnitentiæ fructu, scilicet de remiſſione peccatorum.* 10.
ART. IV. *De Pœnitentia publica.* 22.
CAP. II. *Notio exhibetur Sacramenti Pœnitentiæ.* 26.
ART. I. *Affertur definitio hujus Sacramenti, illique ratio Sacramenti vindicatur.* 27.
ART. II. *De illius partibus.* 48.
CAP. III. *De dolore ad Sacramentum Pœnitentiæ requiſito.* 53.
ART. I. *Explicantur natura hujus doloris, & quæ generaliter ad illum spectant, prout requiritur ad Sacramentum Pœnitentiæ.* ibid.
ART. II. *Agitur specialiter de dolore contritionis, ſive perfecto.* 59.
ART. III. *De dolore imperfecto ſive attritionis.* 63.

Art. IV. *Examinatur utrum ex parte doloris possit dari Sacramentum Pœnitentiæ validum & informe.* 85.
CAP. IV. *De Sacramentali Confessione.* 88.
Art. I. *Exponitur quid sit Confessio, & exponuntur variæ opiniones circa illam, atque agitur de illius antiquitate.* ibid.
Art. II. *Ostenditur ipsam esse necessariam de jure divino lapsis in lethale post Baptismum.* 90.
Art. III. *Examinatur quinam, & quando obligentur præcepto Confessionis.* 102.
Art. IV. *De Confessionis materia.* 104.
CAP. V. *De absolutione Sacramentali.* 118.
Art. I. *Agitur de conditione absolutionis, & assignatur quotuplex sit.* ibid.
Art. II. *De illius effectibus.* 124.
CAP. VI. *De Ministro Sacramenti Pœnitentiæ.* 126.
Art. I. *Ostenditur solos Sacerdotes esse ministros hujus Sacramenti.* ibid
Art. II. *De approbatione in ministro requisita.* 129.
Art. III. *De jurisdictione pariter requisita.* 133.
Art. IV. *De reservatione.* 140.
Art. V. *De muneribus Confessarii.* 149.
Art. VI. *De obligatione, quam hic habet corrigendi defectus in administratione hujus Sacramenti admissos.* 160.
Art. VII. *De Confessariis sollicitantibus pœnitentes ad turpia.* 163.
CAP. VII. *De satisfactione Sacramentali.* 168.

Art. I.

Art. I. *Explicatur natura & effectus hujus satisfactionis.* ibid.
Art. II. *Obligationes Confessarii in ordine ad illam imponendam.* 169.
Art. III. *Obligationes pœnitentis in ordine ad ipsam adimplendam.* 173.
CAP. VIII. *De Indulgentiis.* 176.
Art. I. *Quid sit indulgentia.* ibid.
Art. II. *Quotuplex sit.* 182.
Art. III. *Quinam possit eas concedere.* 187.
Art. IV. *Quinam possit eas lucrari, & quænam conditiones ad id requirantur.* 190.
Art. V. *De Jubilæo.* 197.
DISSERTATIO V. *De Sacramento extremæ Unctionis.* 203.
CAP. I. *Notio exhibetur extremæ Unctionis.* ibid.
Art. I. *Affertur definitio extremæ Unctionis, & probatur illam esse Sacramentum.* ibid.
Art. II. *Agitur de illius materia & forma.* 206.
CAP. II. *De extremæ Unctionis ministro, suscipiente, & effectibus.* 209.
Art I. *De ministro.* 210.
Art. II. *De suscipiente.* 213.
Art. III. *De effectibus.* 214.
DISSERTATIO VI. *De Sacramento Ordinis.* 217.
CAP. I. *Exponitur natura Sacramenti Ordinis.* ibid.
Art. I. *Affertur definitio Ordinis, & ostenditur illum esse Sacramentum.* ibid.
Art. II. *Agitur de variis Ordinum gradibus.* 219.
Art. III. *Agitur de materia & forma singulorum Ordinum.* 230.
Art. IV. *Examinatur, utrum Episcopi sint de jure divino majores simplicibus Presbyteris.* 240.

CAP. II. *De Miniſtro, ſubjecto, & effectibus Sacramenti Ordinis.* 245.
Art. I. *De miniſtro.* ibid.
Art. II. *De ſubjecto.* 248.
Art. III. *De effectibus.* 251.
DISSERTATIO VII. *De Sacramento Matrimonii.* 252.
CAP. I. *Exponitur natura Matrimonii.* 253.
Art. I. *De Matrimonio, ut præciſe contractus eſt.* ibid.
Art. II. *Vindicatur Matrimonio ratio Sacramenti.* 259.
Art. III. *Examinatur Matrimonii, qua Sacramentum eſt, eſſentia, miniſter & effectus.* 263.
Art. IV. *Agitur de conſenſu contrahentium ad illud requiſito.* 268.
Art. V. *De bonis illius ſubſtantialibus.* 272.
CAP. II. *De Sponſalibus.* 286.
Art. I. *Quid ſint Sponſalia.* 287.
Art. II. *De cauſis reſiliendi a Sponſalibus.* 292.
CAP. III. *De impedimentis Matrimonii.* 296.
Art. I. *Afferuntur quæ generaliter pertinent ad varias ſpecies & vim horum impedimentorum.* ibid.
Art. II. *Agitur ſpecialiter de impedimentis tantum impedientibus.* 297.
Art. III. *De impedimentis dirimentibus.* 299.
Art. IV. *De diſpenſationibus ab his impedimentis.* 312.

FINIS.

VITTORIO EMANUELE II BIBLIOTECA IN ROMA
MAG 2003895